


Lbc, 18



EXPOSITIO
BREVIS
LOCORVM SCR. S.
AD ORIENTEM
SESE REFERENTIVM ,


IN QVIBVS
VEL MENTIO EXPRESSA, VEL ALLVSION
SALTEM AD ORIENTIS NATVRAM, VSUS ,
CONSVETVDINES ETC.
OCCVRRIT ,
EX OBSERVATIONIBVS CERTIS , PLERVM-
QVE PROPRIIS, INSTITVTA

A
D. CHRISTOPH. WILH. LVDEKE,
PAST. ECCL. TEVT. PRIMARIO, CONSIST. HOLM.
ASSESS. ET SCHOLARCHA.

HALAE SAX.
IMPENSIS ORPHANOTROPHEI.
MDCCCLXXVII.

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZV HALIE






AEVI NOSTRI


GUSTAVO

PLAGVLASHASCE

HVMILLIMA QVA DECE ET OBSERVANTIA

OFFERT
AVCTOR.







L. B. S.



Dignum me quum ha-
buit inclita FA-
CVLTAS THEOL.

TVBINGENSIS , cui summos

X 3

in

in Theologia honores deferret, mei
quidem officii id duxi, dissertationis
instar, alias consuetae, tracta-
tionem quandam cum orbe eruditio
communicare. De materia igitur,
quam ipsi offerre possem, cogitans,
in illam, quam titulus indicat, in-
cidi, ac in eam quidem tanto ma-
gis, quanto rarius multas ob cau-
sas fit, ut litterarum sacrarum stu-
diosi huius generis ea, quae tan-
tum ad Scripturam S. rite intelli-
gendarum faciunt, nota sibi reddere,
vel

vel Orientis in regionibus , si ibi
fortassis etiam peregrinarentur , diu
commorari queant.

Iam quum in eo esset , prelo ut
subiiceretur anno se circumagente
haec EXPOSITIO , ob loci autem
longinquitatem lente res procederet ,
ex Ephemeridibus Goettingensibus a.
pr. num. 109. et 137. comperi , no-
uam OBSERVATIONVM HAR-
MARI editionem Londini typis im-
pressam fuisse. En libri huius a me

ad-

adhuc nondum visi titulum ! OB-
SERVATIONS ON DIVERS PAS-
SAGES OF SCRIPTURE etc. The
second Edition in two Volumes.



PRAE-



PRAEFATIO.

Nec desiderium , nec negotium mihi
est , ea dilucidandi , quae apud
nos in Occidente viuentes quoti-
die in rerum hominumque natura , horum-
que moribus , videri & obseruari possunt ; nec
quae ex Historia , Geographia antiqua , & in
genere tam ex Iudeorum quam caeterorum
antiquitatibus explicari solent , sed ea solum-
modo in medium proferendi , quae e proprio
quasi adspicere & experientia in ipsissimis aut
saltem vicinis , vbi auctores sacri scripsere ,
regionibus cognosci queunt . Id quod certe
multum ad Scripturam sacram rite intelligen-
dam

A

dam



dam facit, multasque insimul aduersariorum obiectiones, quoad magnam partem ex infirmitate ortas, refellit.

Non fieri potest, quin plurimae huius generis res aliunde & in primis ex itineribus descriptis (1) notae sint, petique possint, ita

vt

(1) e. g. S. M. Lust biblische Erläuterungen aus den Morgenländischen und andern Reisebeschreibungen, Nürnb. 1735. 8. B. L. Escküche Erläuterung der heil. Schrift aus Morgenländischen Reisebeschreibungen, Lemgo 1745. und in den folgenden Jahren. Carstens erläuterte Schriftstellen aus Shaws Reisebeschreibung. Hos quidem non legi, in manibus vero sunt Harmars Observations on divers passages of Scripture, grounded on circumstances incidentally mentioned in Books of Voyages and Travels into the East, Lond. 1764. übersetzt von J. W. Faber unter dem Titel: Beobachtungen über den Orient aus Reisebeschreibungen, I Theil, Hamburg 1772. 8. I Alph. 6 Bogen. 2ter Theil, Hamburg 1775. I Alph. 13 Bogen. — Fabers Archäologie der Hebräer, I Theil, Halle 1773. 8. Praetermitto Celsii Hierobotanicon, Bocharti Hierozoicon &c. quibus alias plane, quam mihi, finis fuit, & Paulsen, qui diuersa hanc ad rem pertinentia, e. g. vom Ackerbau, von der Regierungsform der Morgenländer &c. scripsit. Quos quidem libros in manus meas non peruenisse, reuera doleo. Solummodo, tota tractatio quum iamiam absoluta esset, Harmarum & Fabrum oculo, ut dicunt, fugitiuo perlustrare mihi licuit. De hisce duobus si iudicium meum forte ex.



vt lector benevolus neque hic , neque in alio quocumque scripto , caeteroquin doctissimo , res prorsus nouas exspectare queat ; interea tamen quaedam partim ignota & noua fortassis reperturnus est , partim iamiam nota confirmata sibi videbit . Per nouem annos in Asia Minor commoratus , omnia , quae tractantur , quotidiana vel propria , vel aliorum experientia , eaque certa , explorata habeo.

A 2

Plena

exspectarent lectores , monendi forent : istis accidisse , quod evitatu facile non est , passim nimis rurum istos , quum regiones illas ipsi non inuiserunt , relata referendo se aliosque fecellisse , etsi Harmarum plerumque bene correxit Faber . Ille multa saepius ex alto repetit , nodum in scirpo quaerit , & e ritibus Orientalibus , quae e nostris aequa bene exponi possunt , pluribus verbis explicat . Vnde colligit Harmarus , sed quod silentio premi minime debet , fide multa ; colligit fortassis plus , quam necessarium erat . Faber in annotationibus reuera doctissimis copiosus est , saepeque ab eorum stat opinione , qui omnia fere miracula in euentus naturales , vel ad summum raros , detorquere student . Mirum mihi videbatur , tam Harmarum , quam Fabrum , Theuenotum illum testem laudare , ipsis quum notum esse deberet , huncce iter in Orientem minime fecisse , sed solummodo ab aliis regionum illarum peregrinatoribus congruenter , vtcumque potuerit , compilasse . Ne temere id dicere videar , pro uoco ad librum : *Dictionnaire historique portatif* , Tome second , à Paris 1761 . sub articulo Thevenot ; & ad librum a me editum ; *Beschreibung des Türkischen Reichs* § . 53 .



Plena prorsus in narrando habenda mihi
erit fides , excipiendis illis , de quibus vel ipse
ambigue differo , vel alios dubitanter loquentes
introduco. Si aliorum igitur relationes meis
consentaneas esse quis videret , illis satis credere
se posse , scire lectores , volo. †)

Praemonendi insuper sunt , me in allegan-
dis locis sacris vnice communem Biblorum
Ebraeorum , minime autem versionum in ca-
pita & versus diuisionem esse secutum : & si
verbum *apud nos* vel *eiusmodi* mihi excideret ,
id de Germania proprie dictum cumque ea
comparatum fuisse. (2)

Omissis omnibus , quorum non distincta
vel mentio vel allusio ad Orientis res in Scriptura

S.

†) Optarunt viri quidam graues , vt de materia ,
quam tractandam mihi sumsi , aut prolixius , aut
lingua potius germanica differuerit. Ad pri-
mum quod attinet optatum , ipsi respondere iam
nequivui , quem expositionem hancce breuem ,
compendioli certi instar , rerum harum cupidis
tradere volui , in quod ex Auctoiribus allegatis
& itinerariis res notatu dignas colligere ipsi pos-
sent. Optatum vero secundum aut tractatione
particulari aut versione e noua *Harmari* editione
instituenda notisque illi addendis suo fortassis
tempore non recusarem.

(2) Qui plura de commoratione mea in Asia , in-
primisque Smirnae , scire cupit , adeat scriptum
meum : Glaubwürdige Nachrichten von dem Türkis-
chen Reiche , Leipzig 1770.

S. exstat , nouem quidem Sectionibus campum mihi propositum absoluam. PRIMA nempe ea sistam loca, quae ad climatis, regionisque Palæstinae naturam sese referunt ; SECUNDA ea , quae rei agrariae , hortorum ac vinearum, arborum plantarumque ; & TERTIA , quae animalium mentionem faciunt. QVARTA consuetudines domesticas & priuatas ; QVINTA vestium cultus ; & SEXTA profectiones Orientaliū cum mercatura persequar. SEPTIMA vrbium , aedificiorum & puteorum rationem ; OCTAVA porro statum politicum & militarem explicabit. NONA denique caerimoniae ad religionem pertinentes, hodie tamen adhuc obuiæ, tractationi finem imponent. Fieri quidem potuisse, ut quaedam Scripturae S. loca, quae hoc referenda forent, praetermissa essent ; sed non dubito , quin rarissime id mihi acciderit.


Si quis forte cogitaret, huiusc generis explicationibus plus inesse saepius ingenii eiusque lusus , quam iudicii & veritatis, id de multis concedo , ac utrum mihi etiam euenerit , lectoris scientis prudentisque diiudicationi relinquo. In eam vero opinionem si incideret : dubitandum esse , an usus Orientales non per saecula, sed adeo per aeua millenaria fere sibimetipsis, nostris etiam adhuc temporibus , similes essent, monitum illum volo , omnia, quae a me quidem tractantur aut ad climatis regionumque naturam , aut ad consuetudines , vestimenta ,



aedificiaque &c. referenda esse. Illa ita certe comparata sunt, vt numquam paene mutationem admittant; haec quidem eam subire possunt, quemadmodum apud nos saepissime fit, sed non apud Orientales, hac in re non minus constantes, quam potius pertinaces. Antiqua igitur sive fideliter tenuerunt, vt Arabes, sive populi regiones illas occupantes, vt Turcae, rudes olim & inculti, incolarum sub iugum redactorum, plerumque vero litteris ac humanitate politorum, mores, vestimenta, aedificia, caeterasque horum vitae commoditates, quae omnia fere a climatis regionisque natura pendere solent, in usus suos conuerterunt; id quod in aedificiis, statuis, nummis, huiusque generis reliquis, quae vetustatis certitudinem indubitate prae se ferunt, adhuc conspicitur; ita vt hac certe in re ab hodiernis ad antiqua valeat iure suo consequentia. Saltem absurdum minime est, generum omnium consuetudines & res, hodienum si etiam sunt, olim in usu esse potuisse.



SE-



SECTIO PRIMA.

DE CLIMATIS REGIONISQUE PA-
LAESTINAE NATVRA.

§. I.

Palaestina suis certe temporibus fertilissima in litteris sacris more consueto ut *regio lacte & melle fluens* praedicatur. (3) Proverbialiter hoc dictum esse ad indicandam pecoris, apum & rerum exinde omnium, quae ad viuendum necessaria sunt, copiam, neminem fugit. Non naturali solummodo, sed supernaturali etiam gratiosaque Dei dispensatione propria ipsi erat haec foecunditas. Qua de re conferas *Deuter. 11, 10—12.* Quum nostris vero temporibus hac ex ratione etiam Testamento Veteri fidem denegare tentarunt religionis aduersarii, quod talem, quam illud narrat, tantumque hominum numerum nutrire nequiusset, eaque de re vir ille celebris *D V L V C*, cuius *Genevensis*, editor libri:

A 4

Ob-

(3) e.g. *Exod. 3, 9.* Plura loca parallela his caeterisque allegationibus ubique fere omittuntur, facile enim e Concordantiis colligi possunt. Breuitatis causa unus alterque locus, isque primarius in medium proferetur.



Observations sur les Savans incredules &c. testimonium, cui certa haberi fides posset, a me petebat, id ipsi & omni quidem exceptione maius A. 1769. ab Equite Anglo DE MONTAGV (4) procuraui. Is regionum earum incola diuturnus, nulliusque religionis homo, nemini idcirco pieratis caussa suspectus, propria manu familiaeque sigillo affirmauit: Si agrorum Palaestinae nunc adhuc cultorum, illorumque fertilitatis ad eos, qui ob incolarum paucitatem & pigritiam inculti iacent, habetur ratio; *Palaestinam* descriptum, omnino permagnum, incolarum numerum in se comprehendere & commode nutrire potuisse. Quod testimonium Vir ille celeb. *Du Luc* cum mundo erudito publice communicare, in animo habebat, et si vtrum iamiam? & vbinam factum sit? ignoror.

§. 2.

Non gaudet commutationibus anni temporum quadripartitis ita' distinete a se inuicem diuersis Palaestina, quam Germania. Autumno & vere admodum breuibus, duae fere solummodo sunt, hiems & aestas. Provinciae, quo montosiores sunt, vel proprius mari adiacent, eo maiori tempestatis vicissitudine viuntur. Quaedam ob montium niue fere perpetua obrutorum, e. g. *Libani*, vicinitatem admodum fri-

(4) Breue ante tempus in Oriente morte deleto.

frigidae sunt. Saepe calore summo conficiuntur diu homines, noctu autem frigore. *Gen.* 31, 40. *Ier.* 36, 30. Sapiens certe creatoris dispensatio, sine qua regiones istae calidae deserta siccata euaderent. Hiems, tempus potius inconstans & pluuiale, quam frigidum est, *Cantic.* 2, 11. eamque ob caussam incommodis etiam suis laborat. Nunc corporis pori, temporis amoeni ergo aperti, ventorum frigidorum subito exorientium violentia clauduntur, imber per dies, passimque per hebdomades plures continuus, aërem admodum ingratum *Esr.* 10, 9. viasque montibus plerumque vici-nas, non solum lubricas & infestas, sed inexplicabiles fere reddit. Hinc Seruatoris ad preces adhortatio: vt ne tempore hiemali fuga fieret, *Matth.* 24, 20. Ideo ignis, passionis Christi tempore, calefaciendi caussa in aulae atrio accensus, *Luc.* 22, 55. Greges interim noctu etiam sub dio subsistere solent, quemadmodum Christi nativitate, *Luc.* 2, 8. &c.

Aestas perforuida est. Ab aëre solo metalla, solis etiam splendori minime exposita, tali tamen calefiunt modo, vt manus apposita eorum patiens vix sit, oculique meridiei tempore dio aegre in coelum attolli & aperiri queant. Circa Pentecosten oritur consuete eurus, per aliquot dies durans & super montes aut deserta arenosa vbique iamiam calefacta flans, totam camporum faciem intra vnius vel

A 5

duo-



duorum dierum spatium, mutat. Herbae & segetes adhuc virides repente exalbescunt, *Gen.* 41, 6. *Hesek.* 17, 10. *Ion.* 4, 8. & symbolum rerum omnium vanitatis repentinaeque hominum mortis admodum graue praebent, *Ps.* 90, 5. 6. 103, 15. 16. *Ies.* 40, 7. Tota Iunio, Julioque, posteriori Maii ac priori saltet Augusti parte, nulla exstat pluuiia, coelum semper serenum est, atque messis tempore tempestas cum fragore tonitribusque prorsus in consueta; qua ex re miraculi, a Samuele *1 Sam.* 12, 16 — 18. editi, natura facile diuidari potest. Calor hic continuus, aliis ceteroquin regionibus perquam noxius, Palaestinis adiacentibusque maxime opportunus & necessarius est, quo sub dio frumentum in area deterrere, ac vuas, ficus &c. siccare valeant.

Generaliter tempestas ibi bona & certa est, quapropter multi olim & hodienum sub tentoriis habitant populi. Quo vitae genere sic adsuetissimi sunt, tametsi id usui nostro repugnet, ut domus carcerum loco putent; & tribuum capita ad summum ruguriis leuiter constructis viantur. Id quod egregie ad vitae genus primorum hominum patriarcharumque explicandum facit, mirabilesque religionis aduersiorum obiectiones refellit.

§. 3.


Regio maxime montosa est Terra Sancta.
Sae-



Saepissime montium Libanon, Carmel, Tabor, Iudea &c. mentio fit: non tamen prorsus petraei & steriles sunt, sed quoad magnam partem spatiose multumque frugiferi. Cauernae montium hic angustiores, illic prolixiores saepissime bestiis hominibusque domicilia, nunc etiam praedatoribus totisque hominum copiis refugium belli tempore praebent, 1 Sam. 24. 1 Reg. 18, 4. c. 19, 9. Carmel in primis ob fauces vel vias tortuosas insimulque profundas & ob speluncas ad latendum aptissimus est, Amos 9, 3.

§. 4.

Aquae caritate Orientem laborare, e pluribus, quam quae adferri possint, Scripturae sacrae locis & aliunde notissimum. Nec mirum igitur est, eam ob caussam frequenter lites & dissensiones ortas esse, Gen. 21, 25. c. 26, 20. Sunt quidem prouinciae, vrbes, pagi, pauci tamen, aquis & fontibus perennibus abundantes, quas inter Prusa & Damascus, cuius aquae adhuc praestantissimae sunt, 2 Reg. 5, 12. eminent. Maximam igitur adhibent curam Orientales, ne pro sua parte aquae quicquam e fontibus defluentis perdatur, sed vel in cisternis asseruetur, vel canalibus in campos hortosque deducatur; quam ad rem alludit Salomo Pro. 21, 1. Aestimant igitur eorum bonitatem vnicie fere ex aquis, Num. 24, 6. Ies. 58, 11. quique his carent, eos nihil ducunt, Ies. 1, 30.
P.



Poculum aquae frigidae , quod Seruator noster Matth. 10, 42. vt prouerbium in medium proferret , in Oriente res contemnenda minime , nec sine pretio est , quapropter in vrbibus & apud vias publicas scutellae aut alia huius generis vasa puteis , vel catellis constricta teneantur , vel prope illos posita sunt . Quid ? quod homines , e. g. *Deruise* (Muhammedanorum monachi) & alii expresse , vt vasculum aquae frigidae offerant , constituti sunt.

§. 5.

Ros & pluuiia hanc aquae in regione sicca & scopulosa inopiam subleuant. Ille vii beneficium ibi maximum iure existimatur , Gen. 27, 28. 39. *Iob.* 29, 19. in primis tempore matutino admodum copiose cadens ob humiditatem , qua plantas & germina refrigerat , aërem quasi ardenter frigefactat , hocque modo omnia ab imminentे sole seruat. *Hoseas* eum igitur laude celebrat , c. 6, 4. c. 14, 6.; quemadmodum eius penuria sicuti singularis Dei maledictio annuntiatur , 2 *Sam.* 1, 21.

§. 6.

Hiems , vt iamiam antea indicaui , tempus magis pluuiale , quam frigidum est , duratque saepe per hebdomades completas. Imber oritur vehemens , qui aedes male materias pas- sim e luto construetas , & collibus plerumque coniunctas subruit , Matth. 7, 27. Differentiam , quam

quam Lexicographi nostri inter pluuiam *primam* (יֹרֶה) & *serotinam* (טַלְקוֹשׁ) constituerent solent, quotannis experientia comprobata vidi. *Prima* vel potius autumnalis mox post messem, & sicum, vuarumque collectio nem cadit, terramque irrigando ad seminandum praeparat. Antea cadendo aream granis repletam prorsus perderet. *Serotina* vel potius vernali opus est, quo omnium generum sata, iam ad spicas perducta, vii frumentum &c. turgescant & grandescant, *Deut.* 11, 14. *Zach.* 10, 1. Qua ex dupli ci pluiae dispensatione, tempore iusto neque praematurius neque tardius cadentis, tota pender messis salus.

§. 7.

Liber *Iosuæ* c. 3, 15. & 1 *Paralip.* 12, 15. certiores nos reddunt, messis tempore, quod in Aprilis nostri finem, Maium & Iunii initium incidit, *Iordanem* ab una parte vsque ad alteram aquae plenum fuisse. Rei cuius ratio in eo sita est, ut non solum, sicuti & apud nos, discutiatur nix, multis alias montibus perpetua, sed humores etiam, in montibus vicinis hieme durante imbibiti, in fluvium illum & in lacus quos interfluit, tunc se insinuent.

§. 8.

Ad clima forte *lepra* potissimum est referenda, quae quidem non eadem ratione extraordinaria domus hominesque coinquinat, qua secundum Script. sacr. traditionem inter Iudeos




daeos saeuiebat , interim tamen adhuc passim homines labefacit. — De peste multa adferri possent , sed huc non pertinent. Id solummodo , quod mirabile certe obseruatu est , annotare liceat , eam ob contagionis , qua homines adficit , modum occultum a rege , ut in tenebris perambulantem , accurate describi , Psalm. 91, 6.

§. 9.

Terrae motus mitime inusitati sunt. Absurda vero prorsus eorum opinio est , qui solis defectionem , ante Christi mortem existentem , perhibent naturalem terrae motus , qui post eius mortem accidit , fuisse consequentiam , quum scriptor sacer clare istam solis obscurationem ante , hunc vero (terrae scilicet motum) post Seruatoris mortem ponit ; ac illa , quantacumque etiam sit , terrae motum non sequitur , sed ei , vt semper obseruaui , antecedit. (5)

SE-

(5) *Faber in Archaeol.* obscuritatem , quam terrae motui connexam esse vult , infinites maiorem sibi facit , quam reuera est . Sunt plures visitato vapores , nec igitur hic in considerationem veniunt. *Applausus* , quo hac in re auctor *Biblioth. Vniu. Teuton. Vol. XXVII. P. I. Harmari Obseruat.* *Fabrique annotationes* dignas habet : eas toto libro reliquis antecellere , (eine der besten im ganzen Buche) afferens ; Orientis perito & narrationi divinae fidem decentem habenti plane lubricus & nullo fundamento innixus videbitur.



SECTIO SECUNDA.

DE RE AGRARIA , HORTIS , VI-
NEIS , ARBORIBVS , PLAN-
TISQVE.

§. 10.

In hodiernum usque diem Orientales in agris segetes & omnium generum arbores fructiferas , in primis amygdalos , ficus , oleas ac vitim altam ferere solent. *Iud. 15, 5. Ioe 1, 12. 19.* Initio messis hordeum saepe ibi iam maturescit, *2 Sam. 21, 9.* & pabulum equorum consuetum est. Panibus hordeaceis pauperes, atque annonae caritate reliqui etiam vivuntur ; *2 Reg. 4, 42.* & sapidi certe sunt , sed vetustatem non ferunt. Omnia falce demetuntur , in areas , solo sicco & duro , quo ventus perflare potest, sitas , comportantur , multosque in aceruos accumulantur. *Ruth 3, 2. 3.* Sub dicta trituratio sine pluiae metu (§. 2.) Quatuor , ut iamiam *Pocockius* notauit , modi tritrandi dantur. Vivuntur 1) baculis & flagellis , quod apud nos satis notum ; 2) traha , facta more consueto e duabus tabulis iunctis , ferro vel lapidibus plerumque silicibus infra exasperatis. Super illam agaso stat & a bobus trahitur.



hitur. *Ie. 28, 27. 28. c. 41, 15. 16.* Circumaceruum circumagitur machina vna vice granum exterens, glumen frangens, stramenque in minutissima frustula paleae instar confringens. 3) *Plostello Punico*, rotas habente, dentibus acutissimis praedito, idem atque ea, quae prius descripta est, machina, in exterendis granis efficiente; 4) denique *bobus*, &, quemadmodum etiam in quadam Archipelagi insula vidi, equis circa frumenti tumulum circumactis sicque pedibus suis illud conculcantibus. *Deut. 25, 4. 1 Cor. 9, 9.* — Stramen & gluma hoc modo fracta in area, scopis versa, ventilantur die, *Zeph. 2, 2.* numquam fere nocte, ordinarie hoc anni tempore a ventis quieta; palea melioris conditionis non procul a grano humi cadit, deterioris s. quisquiliae a vento disperguntur. Illa, cui semper grani aliquid mixtum est, in iumentorum cedit pabulum; haec dispergitur & aut perit, aut comburitur. *Iob. 21, 18. Es. 40, 24. Matth. 3, 12.*

§. II.

Vineta non solum collibus, sed campis etiam ingentibus posita sunt, & non difficulter instituuntur. Parietibus nunc e luto nunc e lapidibus constructis circumdata sunt. Viae angustae & semitae, quae saepius vix homini aut animali eunti sufficiunt, ea interscindunt. *Num. 22, 24. &c.* Nunc aediculae miserae in iis sitae sunt, *Ies. 1, 8;* nunc aedificia altiuscula turris

turris quasi forma exstructa , vt hominibus & iumentis vsui , ipsique tuti a praedatoribus esse possint. *Ies. 5, 2. Matth. 21, 33.*

§. 12.

Quod ad hortos attinet , iamiam (§. 4.) indicaui , eorum praestantiam vnicet fere ex aquarum , quibus irrigari possunt , copia aestimari. Id in genere hoc loco praecipi debere videtur , ne sub expressionibus sacris , ab oleis , cedris , malogranatis , palmis , ficubus , liliis &c. desumptis , extraordinarii quid latere putemus , quem horum generum fructus eodem ibi loco sunt , quo apud nos poma & pira. *Ies. 34, 4. Apoc. 6, 13. Ies. 35, 1.* (6)

§. 13.

(6) Hac in re saepius fallitur *Harmarus.* E. c. *Obf.* c. IV. not. 15. locum *Luc. 11, 12.* in Occidente & infantibus intellectu facilem eo torquet , vt oua , ibi tam vulgaria & quotidiana , quam lac & mel , in cupidiis facile poni possent ; reique huius exemplum inde capit , quod Consuli Anglo quondam quinquaginta dono dedissent Turcae. Id quod *Falorum* in annotationibus suis non correxisse , valde miror. De re ipso conf. §. 35. Cautio certe singularis adhibenda est , ne tritum istud : ne quid nimis , hic etiam negligatur. In noua *Observationum Harmari* editione contra illud iterum peccatur. e. c. Quae de turbinis ortu ad loca *Ez. 1, 4. Pron. 1, 27.* illustranda occurunt , aequa facile nostra e tempestate intelliguntur. — Abrahami stratagema *Gen. 14, 15.* copiose ex

B

Ara-



§. 13.

Amygdala arbor, florem ac fructum ante arbores reliquas festinans seu maturans, eandem ob caussam pietatis iuuenilis signum euadit. *Eccl. 12, 5. 1.* — *Ficus tardissime arborum omnium frondescens certissimum aestatis & hinc rei vniuscuiusque prope instantis indicium & symbolum est. Matth. 24, 32.* Frondes eius eximie se dilatant *Iud. 9, 11.* ex quo nata est communis illa dictio: *sub fico & vinea habitare. I Reg. 5, 5.* — Sic etiam cum *olea* comparatum est, *Iud. 9, 9. Hos. 14, 7.*; cuius surculorum, stirpem circumcirca transuerse circumdantium, numerus familiam numerosam indicat *Pf. 128, 3.* Vetera eius folia quum hiemis tempore delabuntur, insimul noua pullulant; semper igitur viriditatis perennitatem significat. *Pf. 52, 10.* — Idem de *palmis* hieme etiam viridibus valet. *Pf. 92, 13.* — *Cedri*, arbores praeter modum quoad altitudinem & crassitudinem crescentes, tantaeque insuper durationis, ut, quae in *Libani* montibus sunt, ab orbe condito succreuisse credantur, in litteris sacris in genere dignitatis magnitudinisque symbola, regionumque earum incolis, ipsi sicut adeo Muhammedanis, hodienum adhuc sanctae sunt. *Pf. 92, 13. Ies. 37, 24.*

§. 14.

Arabum bellis & praedationibus explicatur. Quem vero ad finem? Idem & apud bellatores & praedatores nostros fieri solet. De locis *Am. 6, 4. Nehem. 8, 10.* infinitisque aliis id ipsum valet.




§. 14.

Lilia coloris albi & caerulei in editioribus etiam locis, collibus & sepulchris reperiuntur. *Matth. 6, 28.* — *Cucubitarum* genus quoddam sic in altitudinem crescit, ut una aut pauciores plantae per gulæ tegendæ, quomodo adhuc conspicitur, sufficiant; vnde, benedictione Dei singulari admissa, facillime locus *Ion. 4, 5.* &c. illustrari potest. — In genere autem *cucumerum*, *peponum*, *porri*, *ceparum* & *alliorum*, eorumque specierum diuersissimarum & usus multiplicissimi, sapor est gratissimus, ut iis & crudis pro delicis vitantur; ideoque mirum non sit, quod Israelitæ iis adsuefacti fructuum horum tam appetentes fuerint. *Num. 11, 5.*

§. 15.

Manna diuersis in speciebus & locis quin adhuc obuium sit, dubio caret, sed quale *Exod. cap. 16.* describitur, de coelo, vel aëre, in regionibus illis desertis, plerumque arenosis, cadere, iterque illuc in spem, istud inueniendi, eoque vitam viresque aliis sine alimentis nutriendi, sicuti olim apud populum Iudeum siebat, institui posse, nemo nisi mente captus cogitet.





SECTIO TERTIA.

DE ANIMALIBVS.

§. 16.

Extra finis mei limites foret, omnes animalium species enumerare, quorum in Scriptura S. fit mentio, inque eorum naturam inuestigare. Partim & inter nos nota sunt, e. c. *lupi vespertini*, *Zeph. 3, 3.* qui fame per totum diem macerati, tempore nocturno truculentius grassantur, partim de eorum, e. c. *Leviathanis*, *Mono-cerotis* &c. vel genere vel specie dubitatur, partim ad litterarum S. sensum nihil ea conferunt, ampliori potius aliorum indagini relinquenda. Mihi satis erit, quae sequuntur exponere.

Id solummodo monendum mihi sumo, tantam iis in regionibus reperiri *coturnicum copiam*, vt iam in *Archipelagi insulis* volatu defessi decidunt, atque nullo negotio cateruatim capi queant. Rei cuius ad *Num. 11, 31.* facilis est applicatio.

§. 17.

Canum certe incredibilis exstat ibi copia. Plateae vrbiū maximarum iis plenae sunt.

In



In domuum autem conclave non nisi felibus, minime canibus patet introitus. Ipsi sicuti impura animalium genera aestimantur, ex quo sit, ut *Apoc. 22, 15.* pro hominibus reiectu dignis, paradiſo autem indignis, sumantur.

§. 18.

Res pecuaria, vt olim Patriarcharum temporibus, inter plures Orientis populos, in primis eos, qui a bello abhorrent, maximi putatur. In gregibus igitur numerosis plerumque positae sunt diuitiae. *Gen. 13, 2. 5. Iob. 1, 3. cap. 42, 12.* Locorum, vbi greges, vt antea iamiam dixi, pro consuetudine sub dio viuunt, natura haec est, vt palis & fruticibus aut lapidibus septa praecipue noctu contra ferarum iniurias & praedonum impetus, canum pastoritiorum ope, custodiri possint, & omnino ad ea difficilior accessus sit. Diuersarum nationum tribus, e. c. *Arabes, Turcomanni, Curdy,* sub principum suorum ductu cum gregibus secundum anni commutationes & pascuorum rationem per prouincias vagantur, tentoria vtiliaque sua secum portantes. Nec regnorum vel prouinciarum domini aut gubernatores ipsis, vt apud nos certe fieret, impedimenta hoc in vitae genere inferunt, quum terrae vbicumque incultae iacent fructusque multos e mercatura cum istis & tributis ab ipsis exactis percipiunt.



§. 19.

Ovis familiari quasi consuetudine cum hero suo vtitur. Plurimi inferioris conditionis patresfamilias eam sibi adsuetam habent, quae illos rus comitatur ac vbique sequitur. 2 Sam. 12, 3. — Cameli praeципue ibi, sicuti temporibus antiquissimis, oneribus mercibusque dorso gestandis inferuiunt. Gen. 24, 10.

§. 20.

Vulpium species, quae capillo horrido est, quum nostra molliori vtitur, copiosissima est. Schakal (7) a Turcis nominatur, parua forsitan vocis Ebraeae שָׁׁקָּל immutatione facta. (8)

In

(7) Fabula est non satis digna, quae iterum repetatur, *Schakalides* e lupis & canibus gigni; siquidem semet ipsas, vt aliae generum species, propagant.

(8) Hoc quidem initiatitur *Faber in Archaeol.* P. I. p. 140. istam soni similitudinem inter vocem Ebraeam & Persicam (*Schakal* enim Persica est) hac ex ratione lubricam declarans, quia vox haec Arabice aliter scriberetur, linguae autem Persicae nihil esse cum Ebraea commune, exceptis iis, quae sermonis Arabici ope in illam introductory fuissent. Exesse mihi id minime satisfacit, quum Ebraei durante captiuitate Babylonica & postea voce ea linguam Persicam locupletare potuerint, quemadmodum id Tarcicae ex linguae Graecae parte euenit.



In montium foueis pagis non adeo remotis latenter, sed noctu gregatim sub v lulatu, felium & canum simili, exeuant, pagos & coemeteria audaciter visitant, & si operaे pretium foret, (quod ob vellus quidem perhorridum non est) facillime capi possent. Factum igitur Simsonis *Iud.* 15, 4. minime adeo mirum aut incredibile est. (9) Mortuos nec tam profunde sepultos eruunt & deuorant, quam ob rem Turcae etiam super sepulchra lapides voluerent solent. Et quum bello occisi rarissime profunde sepeliuntur; facile intellec̄tu est, quomodo inhumati vulpium esca dicantur. *Pf.* 63, 10. 11. In genere specierum diuerfarum bestiae loca deserta sub vocibus v lulantibus noctu pererrantes illustrationem admodum viuam versibus 20. 21. *Psalmi* 104. praebent.

§. 21.

De serpentibus quod dicam, non habeo. Certior a multis, quibus fidem denegare non potui, factus quidem sum, adhuc in Syria exestate homines serpentum incantatores peritissimos. *Pf.* 58, 5. 6. Vtrum autem fabula vera sit, nec ne? & si forte vera, an id mediis naturalibus, e. c. musices aut vocis cuiusdam ope, aut modo praeternaturali fiat, aliis, quibus occasio est, inuestigandum relinquo. Ego quidem solummodo relata refero.

(9) Vulpes etiam vulgares, nostris similes, copiose in Iudea dantur.



SECTIO QVARTA.

DE CONSVETVDINIBVS, MORIBVS- QVE DOMESTICIS AC PRI- VATIS.

§. 22.

Traetationem hanc & sequentem antecedat obseruatio quaedam generalis. Gustus Orientalium natura quasi climatis ad externa & in sensus incurrentia quoad vestimenta, vitae genus, victus rationem & huius generis reliqua fertur, quae apud nos mirabilia & forsitan ridicula & absurdia putarentur. Adhuc personae singularis conditionis iis vtruntur institutis, quae de prophetis & apostolis in Bibliis descripta legimus. 2 Reg. 1, 8. Zach. 13, 4. Matth. 3, 4. 2 Reg. 4, 29. Luc. 10, 4. Sic se gerendo non vt mente capti viuebant, sed, quamquam id nostris quidem moribus mirum atque indecorum haberetur, ad sua tempora, suam regionem, ususque suos, quod & apud nos modo suo eoque licito fit, se accommodabant.

§. 23.

Paucissimis natura contenta ipsis est.
Men-

Mensis , scriniis , sellis , horumque similibus aut prorsus non aut raro vntuntur ; vbiique igitur in conclaibus & culinis (10) &c. curta admodum & quae facile moueri potest , supplex ipsis est . Hac ex re intelligitur , quomodo tam expedite exercitus & numerosissimi conscribi & gentium migrationes in oras alienas olim & adhuc fieri possint , quod apud nos ob sedes stabiles & supplexilia multa grauia- que difficile factu foret .

§. 24.

Huc referendum etiam optime videtur , Orientales personis rebusque nomen imponentes modo plane singulari agere . Fieri potest & reuera sit , vt homini forti nomen *Scheitan* (Satanae) , astuto *vulpis* & huius generis simile sine criminatione detur . Libri & carmina gaudent passim titulis prorsus mirabilibus , a floribus , fructibus , animalibus desumptis . Ex illo locus *Luc.* 13 , 32 ; ex hoc Psalmorum inscriptiones aliquam saltem illustrationem capere possunt ; tametsi id & in Europa tam olim quam hodienum accidit , vt libri nomini-

B 5 bus

(10) *Harmarus* in *Obs. P. II. n. 5.* & *Faber* in not. 15ta , vasa coquinaria recensentes , voci (proprie Italae) *pignatta* , vel quemadmodum secundum Italorum pronuntiationem sonat , *pingatza* , significatum ipsis obscurum esse fatentur . Est olla fictilis ad coquendum communis .



bus impropriis, e. g. *Arndtii hortus paradisi* &c. insigniantur.

§. 25.

Quae ad viatum pertinent, reliquis antecedant. Serui foeminis maximam quoad partem omnium generum alimenta in foris & alibi obsonant, pecus & animalia volatilia maestant, cibos praeparant, ac communiter culinae inseruiunt. *Gen. 18, 7.* Eo tamen ciborum genere vbique, quod e farina, ut placentulae, belaria &c. conficitur, foeminis reseruato. *Gen. 18, 6. 2 Sam. 13, 5.* Facile adhuc eodemque quasi modo, qualis *Gen. 18, 6 — 8.* describitur, in amici eorumque, qui hospitii iure digni habentur, aduentu sese expediunt. (11) In mola manuaria frumentum mulieres, plerumque duae, molere solent. *Exod. 11, 5. Matth. 24, 41.*

§. 26.

Epula sollempnia, e. g. quae apud Turcarum imperatores legatis peregrinis parantur, tempore matutino vel antemeridiano circa horam

(11) *Harmarus* c. IV. not. 19. valde miratur, *Abraamo*, patriarchae tam diuiti, non ampliorum alimentorum, ciborumque varietatem fuisse. Sed in promtu responsio est: Orientalibus oeconomiam ob aestum aliasque caussas in antecessum instructam & apparatam non esse.



ram nonam ; conuiua autem inter aequales & amicos vespertino hora sexta celebrantur. *Iud.* 19, 5 — 11. Personae conditionis altioris, principes , primi prouinciarum gubernatores dignitatis & honoris caufsa mensulæ adsident foli , hospites remotis suis vtuntur mensulis. *Gen.* 43, 32. Longe maximus patellarum in primis illis adfertur numerus , de quibus etiam frustilla iis, quos praesentium honore particuliari afficere volunt , iam plura , iam maiora mittunt. *Gen.* 43, 34.

§. 27.

Acida quaedam , oxygara vel talia huius generis iura , reliquas ad patinas adstant , in quas manibus , siquidem furcis & cultris non vtuntur , singuli offas intingunt , siveque proprio aut hospitum ori porrigunt. *Matth.* 26, 23. *Ioan.* 13, 26. (*) Celeb. B. Michaelis dubitat, an expressio : *bibere vinum e phialis* , *Amos* 6, 6. sumtuositatem aut intemperantiam in hominibus

(*) Singulare & mirabile prorsus est , ex Harmaro haec in *Ephemeridibus Goetting.* allegata legere : *Gebrauch der Araber , ihre Milch und Brühe ohne Löffel mit der Hand zu essen , zur Erläuterung Prov. 19, 24.* Quomodo scribi talia & credi possunt ? Iis, quae supra dixi , ut extra dubitationis aleam res ponatur , solummodo addam : *Oryzam (Pillav apud Turcas) ac diuersa e lacte coagulata facta , sed minime ientacula propria aut lac fluidum ori manibus porrigi.*



minibus reprehendat. Potius in genere in eorum ebriositatem animaduertit, quum & foeminae, vitio tamen huic minime deditae, e phialis (sicuti Angli potum, qui ipsis in deliciis est, quemque *Punch* nominant,) vinum, aquam & diuersa potuum genera bibunt. *Esth.* I, 7. (*)

§. 28.

Panes suos tenues specie fere ouata conficiunt, quorum igitur numerus grandis auehi potest. I *Sam.* 25, 18. Inarescunt mox, iamque, quo melius sapiant, postridie recalefaciendi sunt. Inter segetes ambulantes vel iter facientes, quod de Seruatoris discipulis *Matt.* 12, 1. scriptum legimus, adhuc spicas virides decerpunt & tanquam delicatas comedunt. Quod ad locum illum *Hesek.* 4, 12 — 17. vexatum, ut creditur, attinet, iam dudum religionis aduersariis, plerumque maxima doctrinae solidioris, in primis rerum Orientalium inscitia labo-

ran-

(*) Ex *Harmaro* iterum edito *Goettingenses* adducunt: *Im Oriente wird bey dem Anfange der Mahlzeit getrunken, nicht bey dem Schlusse.* *Esth.* 5, 6. Quod si sit, certe more institutoque Orientalium id minime fit. Duplex igitur hic occurrat error. Potus enim sub conuiuio sic arbitrarie sumitur, sicuti & apud nos; plerumque potu autem conuiuio finem faciunt. Locus insuper e libro *Esther* citatus contra auctorem potius aperte testatur, potum post conuiuium secutum esse. *conf. cap. 7, I. 2. 7.*



rantibus, data est responsio : בְּגָלְלֵי צָאת הָאָדָם
non significare, panem *ex aceruis excrementi*
humani, sed *apud seu supra eos paratum iri*, si-
quidem versus 15. hunc particulae ס significa-
tum per aliam ע satis dilucidat ; ibique al-
lusio non solum (vt vult B. Michaelis in pre-
stantissimis suis Bibliis) ad homines miseros,
sed in genere ad homines peregrinantes atque
ad tribus Orientales circumerrantes, occurrit,
qui saepissime carbonibus & ligno carentes,
quam ob caussam Abrahamus etiam iter religio-
sum instituens ligna secum portare debebat Gen.
22, 3. 6., stercore animalium panes coquunt.
Vaticinatur igitur Deus, fore, vt Babylonem
transportati summa in rerum omnium, adeo
stercoris animalium, inopia versaturi essent
Israelitae. — Sobrie admodum, quod ad ci-
bum attinet, viuunt Orientales plerique, sae-
pius pane unico contenti ; quam ob rem etiam
eius, tamquam alimenti unice necessarii, men-
tionem facit Scriptura S. Gen. 18, 5. c. 21, 14.
Matth. 6, 11. infinitisque locis.

§. 29.

Vtribus, saepissime intus picatis, quorum
latus pilosum intrinsecus esse solet, aquam,
oleum & vinum, cameli, muli, equi, asini de-
uehunt. Ios. 9, 5. 13. 1 Sam. 25, 18.; hocque
modo melius, quam vasibus, ea seruantur.
Aquam, qua domi opus est, e fontibus aut pu-
tis



teis hauriunt, domumque hydriis nunc ansae
vnius, nunc nasorum duorum, ex argilla
fictis, portant, *Marc. 14, 13*; quas in vicis &
pagis a foeminis humeris gestari ipse vidi.
Gen. 24, 15.

§. 30.

Lac multiplicis usus inter Orientales est,
tam dulce, קְלָב apud Ebraeos, quod notio-
nem pinguedinis secum habet, cuius eximum,
flos lactis paullum condensatus, Orientalibus bu-
tyri instar est & apud Turcas Kaimak appellat-
tur; quam acidum seu concretum, חַמְאָה
apud Ebraeos, omnino ab Arabico حَلْبَه spissum
fuit (lac), minime vero butyrum, ut Lexica
(12) communiter volunt, sed lac acidum, s.
calore spissatum, cui Turcae nomen Iaugurt
dant. Quod non solum recens, potus instar,
sumunt, sed etiam exsiccatum atque aridum ser-
uant ac tamquam ingrediens cibis ac rebus flui-
dis permiscent. Butyrum enim proprium ob-
calorem aut alias forte caussas e laete expri-
mere nequeunt, nec istud, sed lac acidum olim
et adhuc bibitur. *Iud. 5, 25.* nec illo, sed
hoc collum, manus, pedes lauari possunt &
reuera lauantur. *Iob. 29, 6.*

§. 31.

(12) et Harmarus in *Obs. c. IV. not. 9.*



§. 31.

Multis in regionibus in maximis ponitur, pauperes per acclamations aliaque signa ad cibum pluraque beneficia capienda inuitare. *Prou. 9, 2 — 5.* Inanem ideo ostentationem, quae hac in re inualuerat, iamiam reprehendebat suo tempore Seruator. *Matth. 6, 2.*

§. 32.

De iis, quae ad ciuitatem in consuetudine & societate spectant, mentionem faciens, solummodo fere quae a moribus nostris plurimum remota sunt, enarrabo. — Aduenas quum recipiunt, eos ciuiliter, sed sollemniori saepius modo, quam apud nos sit, salutant. Hebraei vocibus: נִפְלֵל לְפָנָיו אֶרֶץ שָׁחָה etc. Graeci voce προσκυνειν vntuntur. Salutatio ni in primis honorifcae apud Graecos adhuc est nomen προσκυνησις. Conditionis inferioris homines ad eorum, qui altioris sunt, aut putantur, pedes non solum procidunt, *Gen. 18, 2. 42.* sed etiam qualicumque pro re supplicantes eorum genua amplectuntur, *2 Reg. 4, 27. 37.*; facie coram Orientis Imperatoribus humi etiam prostrata, id quod Hebraei אֲפִים formulis antecedentibus addentes, exprimunt. Caeterum phrasis tam Hebraea quam Graeca triplici modo sacris in litteris occurrit, ita quidem, ut facile e nexu distingui significatio vera possit. Vel enim adorationem religiosam

in-



indicat, e. c. *Ios.* 7, 6. *Matth.* 4, 9. 10. *Luc.* 24, 52. ; vel ciuilem, tametsi reuerentia nunc communiori, nunc summa plenam, e. g. *Gen.* 44, 14. 2 *Chron.* 24, 17. (& locis infinitis) vel incertam aut potius dubiam & mixtam, *Dan.* 2, 46. 1 *Reg.* 1, 47. *Matth.* 2, 11. vbi an obiectum Deus & homines sint, ambiguum ob adorantium vel superstitionem vel ignorantiam relinquitur. (13)

§. 33.

Quod osculum Orientalibus etiam, sicut nobis, amicitiae testificandae signum sit, facilis coniectura est; sed secundum variam personae conditionem differentes admittit circumstantias. *Vizirii* (supremi regni Turcici ministri) & *Bassae* (primi prouinciarum gubernatores) imperatoris mandata stando accipientes ad frontem ea admouent. Alii non os solum & genas osculantur, sed etiam amantium oculos, aequalium barbas 2 *Sam.* 20, 9. ; superiorum manus, pedes *Luc.* 7, 45. adeoque vestitus. (14) Magnum

(13) *Harmarus* in *Obs.* loca *Apot.* 19, 10. c. 22, 9. *Aet.* 10, 25. 26. ad secundam refert significacionem, qua in re aperte fallitur, nexus adoracionem religiosam, sed aut ab angelis aut apostolo in ordinem iustum redactam, euidenter significante.

(14) Non falso *Harmarus* eos, qui illum mulieris tactum *Luc.* 8, 44. non secus ac superstitionem fuisse



num forte si quis retraheret, propriae, perinde ac si illius adhuc manum teneret, osculum fecit osculans. Quod fortassis cum *Iob.* 31, 26. 27. conferri potest. Milites Turcici imperatorema exspectantes celsi erectique stant, manibus decussatim fere super ventrem flexis, quarum vero dextram, illum praetereuntem nunc salutantes, corpore insimul inclinato, fronti admouent.

§. 34.

Lotio pedum, cuius tot vicibus foederis tam veteris, quam noui tabulae mentionem faciunt, eandem ob cauillam utilis hodie atque necessaria est, ac olim. Quum Orientalibus enim tibialia non sunt, plerumque fit, ut eorum pedes in itineribus puluere ac sudore simul perfusi sint.

§. 35.

Non solum honorificum, sed plerisque occasionibus absolute necessarium est, quum inferiores superioribus, e. c. imperatoribus, ducibus &c. temporibus praecipue sollemnibus se sistunt, et si quis a quodam auxilium, aut quidquid etiam sit, peteret, dona & munera insimul vel adferre, vel adferenda curare. Ad donantis & accipientis conditionem dona proportionem

C

tionem

fuisse perhibent, reprehendit; siquidem ipsi vera in Seruatorem fiducia erat, ut e loco parallelo *Marc.* 5, 28. euidenter appareret.



tionem habere debent. Europaeis vilia saepe praebere solent Orientales. Nunc e pecunia, nunc praecipue apud proceres ex auro, argentoque, pannis pretiosis, aliisque, quae prima ducuntur, constant. Olim & hodienum Orientis reges donis ad pacem & bellum allici se passi sunt, *1 Reg.* 15, 18. 19. quod nostris omnino moribus humile & abiectum putatur. Late mos hic patet. Legati potentissimorum etiam principum ad Turcarum imperatorem adeuntes, tam ipsi, quam ipsius ministris praecipuis, saepius & foeminis ad praebenda ea lege quasi adstricti sunt. Passim repeti, passim sub pompa etiam decenti conferri omniumque oculis publice exponi debent. *Iud.* 3, 18. *1 Sam.* 10, 27. quo etiam *Matth.* 2, 11. trahi potest. Plane igitur iniquum, quid? quod absurdum foret, prophetas in donis accipiendis vituperare, perinde ac si largitionibus sese corrumpi passi fuissent. *1 Sam.* 9, 7. 8. *1 Reg.* 14, 2. 3. *2 Reg.* 8, 8. 9. Magnates nonnumquam aequalibus aut inferioribus ea dono dant, quae ipsis in promtu sunt: vestimenta, gladios &c. Mos antiquus iamiam *1 Sam.* 18, 4. occurrens.

§. 36.

In conclauibus angulus pro summo honoris loco putatur, quem sibi igitur imperatores, *Vizirii*, *Bassae* apud Turcas, Patriarchae autem & Archiepiscopi apud Christianos sumunt, dum inferioribus pater aditus.

§. 37.



§. 37.

Caerimoniae ex eorum quidem opinione
re principaliter deficerentur, aquae oientes si dees-
sent. *Gen. 27, 27.* ita autem compositae, ne
quid macula adficiant. Adspergunt igitur
illis adhuc hospitum capita, facies, manus,
vestitus. *Luc. 7, 37. 46. Matth. 26, 7.* Ut sa-
lutationi caeremoniali finem faciant, hospitibus
odore arabico fumificare iubent. Quo e ritu
vtrum explicari locus *2 Cor. 2, 15. 16.* possit,
(15) an e figurata potius dictione, quae com-
muniter & apud nos valet, *Exod. 5, 21.* an
denique e locutione sacrificali *Gen. 8, 21.* (se-
cundum LXX. interpr.) coll. cum *Eph. 5, 2.*; ita
ut diuina apostolatus missio eiusque effectus
cum sacrificiis Deo placentibus comparentur,
id quod e versibus antecedente & consequente
elucere videtur: Hanc quidem litem non diri-
mam. (16)

§. 38.

Iam ad ea transeamus, quae domus statum
C 2 res-

(15) Ut quidem *Harmarus* in *Obs. & auctor Bibli-
othecae Teuton. vniuersalis*, Tom. XXVII. P. I. eas
recensens, adserunt.

(16) In eo falli mihi videtur *Harmarus*, quod hoc
e ritu *Dan. 2, 46.* explicare, suffitumque ibi in-
dicatum aperteque superstitionis in caerimoniam
ciuilem supra descriptam conuertere conetur.
Conf. Act. 14, 11 — 14.



resque ei connexas spectant. Quaenam negotiorum genera a foeminis curari solent, iamiam §. 25. attigi. Tempore vespertino Gen. 24, 11. non pauperes solum, sed eae adeo, quae conditionis modicae sunt, aquam hauriunt, eaque domum instruunt. Orientalium fortassis posteriorum ferocitatis caussa in prouinciis pluribus (Arabibus exceptis, quos inter procerum hominumque diuitum filiis & filiabus de gregibus adhuc cura est, Gen. 29, 9.) desit consuetudo ista, qua pecoris olim curam gerebant. Gen. 29, 6. Exod. 2, 16. Tametsi vero non nisi velatae in publicum prodeant, quibusdam tamen locis certisque temporibus mercaturam erioxyli, telae xylinae & serici faciunt. Prou. 31, 24. Dura omnino inter Orientis populos mulierum est conditio; quicquid etiam de earum felicitate foemina ista celebris *Mylady Montagu* in epistolis suis praedicet. Illa sane inter nos, religionis Christianae adseclas, mitigata maximum sine dubio, sed ex ea sollemmodo manans beneficium est. 1 Petr. 3, 7.

§. 39.

Mancipiorum, seruorum & ancillarum non eadem ubique est fortuna atque conditio, nunc hic, nunc illuc laetior vel durior. Sexus virilis plerorumque mancipiorum in Africa degentium, sors grauior & tristior, quam muliebris eorumque est, quae in Asia seruituti addicta viuunt. Serui, non ancillae, inter epulas ministri sunt, iisque finitis aquam, lauantum

tum manus heris , hospitibusque praebent.
2 Reg. 3, 11. Apud Arabes peregrinis comedientibus stantes etiam inferuiunt ipsi hospites.
Gen. 18, 8. Liberos dominorum suorum grandiusculos ita humeris portant serui, vt illi lacertis suis horum collum, pedibus vero latera amplectantur , sicque illorum facies super horum caput emineat. Seruitus adhuc in Aegypto, omnibusque fere Orientis regnis , mancipiis nonnumquam , quemadmodum olim Iosepho Gen. 39, 4. summae est fortunae. Qui nunc seruitute opprimuntur , ea deinceps liberati duces domini que denique fiunt. Rei cuius exemplum recens ex Aegypti tyranno , Aly Bey nominato , petere liceat. Nutrices , aut foeminae , quibus liborum cura commissa est , saepissime adhuc eadem , qua apud Patriarchas , fortuna vtuntur ; aetate prouectae vt propinquae & necessariae familiis inferuntur , iisque ductrices & suasores fiunt. Gen. 24, 59. cap. 35, 8.

§. 40.

Non amant ambulationes Orientis populi , sed totos dies apud vias in pratulis aut sub arboribus commorantur. 1 Sam. 22, 6. Sessio sub illis caloris ergo ipsis periucunda est , Gen. 18, 4. ideoque commoratio sub ficu & vinea vitae tranquillae & amoena emblema euasit. 1 Reg. 4, 25. In terra pedibus decussatis sedere solent , Iob. 2, 13. quod nobis certe incommodum foret , ipsis ob vestes largas , praecipue

C 3 brac.



bracas, percommodum. Pedibus sub podice decussatim flexis cibum capiunt. *Ioan.* 13, 23—25. Diebus aestiis inter tempus meridianum omnes fere corpus quieti dant. *2 Sam.* 11, 2.

§. 41.

Latrinae pro corporis excrementis in altum editae, ut apud nos, iis minime sunt, sed foramina modica in solo loci vel conclave separata fausta, quare hic & aliorum aluum exonerantes pedes suos reuera tegunt, *Iud.* 3, 24. *1 Sam.* 24, 4. eorumque, qui phrasin hanc de cubitu ad dormiendum intelligunt, opinio a veritate abest. (†)

§. 42.

(†) Hanc opinionem defendantes, quod ad locum *1 Sam.* 24, 4. attinet, ad Versionem Syriacam, *Iosephi Antiquit.* V. 4. 2. Ephraemumque Syrum prouocant, vbi phrasis, de qua hic agitur, per illam: *cubitus ad dormiendum*, exprimitur. Non obstante vero solum Paraphrasis Chaldaica & interpres latinus, sed etiam locus e libro *Iudicum* 3, 24. allegatus, in quo omnes, excepto nullo, interpres veteres ac *Iosephus Antiquit.* VI. 14. ipsissimam phrasin Ebraicam de alio exonerando intelligunt. Forte si quis cogitaret, dormienti, ut ne frigescat, pedes tegere opus esse, in memoriam reuocet, Orientales dormientes in primis capiti tegendo operam dare; nec ullam esse rationem, quam ob rem non aequa bene (quod tamen non fit), caput, vel corpus tegere, dici posset. Opponi etiam nequit, temporis elabendi *Ebudo* non fatis fuisse, aluum solummodo si exonerasset *Egion*, quum minime narratur, quantum itineris
Ebudo



§. 42.

Occasionibus solemnibus tam religiosis, quam ciuilibus, chori sexus vtriusque, sed vniuerscuiusque separatim cum saltatione vel potius processione & musica instituuntur. *Exod.* 15, 20. *I Sam.* 10, 5. 6. *2 Sam.* 6, 5. Matrimonium contrahentes de dote, non e pecunia solum, sed vestibus etiam, margaritis, rebusque aliis pretiosis, *Gen.* 24, 22. 53. in primisque mancipiis, sexus muliebris saltem, *Gen.* 16, 2. cap. 24, 59. 61. cap. 29, 24. 29. constante, prius conueniunt.

§. 43.

In conclauibus ab uno angulo vsque ad alterum locus editior, nunc latior, nunc angustior exstat, puluinaribus & puluillis parietem versus plane circumdatus, quibus manus vel corpus sedendo quam commodissime innititur. *Hesek.* 13, 18. 20. *Sopha* illum nominant. Noctu faciliter ibi puluini pro lecto instruuntur; in eum itaque reuera adseenditur. *Gen.*

Ehud progressus erat, antequam fores aperire auderent, seque a consternatione reficerent *Eglonis* cubicularii. Silentio certe profundissimo ad istud Davidis factum *I Sam.* 24. opus erat; facilius autem id credi potest, quam ut regem tribus hominum millibus stipatum in spelunca tamen sine militum custodia solum dormisse putemus. Verecundiae, non somni capessendi cauſa eo fese receperat.




49, 4. 2 Reg. I, 6. 16. Pauperes mutili, quo
aliorum misericordiam facilius ad dandum com-
mouere possint, grabatis & lecticulis per pla-
teas ad urbium portas & templa se circumfe-
rendos curant. *Matth. 9, 2. 6. Ioan. 5, 8.*

§. 44.

Luctus e cuiusdam periculo aut interitu
semper extraordinarii quid ac a nostris certe mori-
bus remoti habet. Exempla similia *Gen. 37, 34.*
aliisque locis occurunt.



SE-



SECTIO QVINTA. DE VESTIVM CVLTV.

§. 45.

Orientales vestimentis solummodo fere longis ad pedes usque dependentibus vti, notum atque apud homines perulgatum est. Gladii igitur sub iis optime abscondi possunt. *Iud. 3, 16.* Longa, larga & plicatura carentia pro tapetibus sessioni commode inseruiunt, *2 Reg. 9, 13. Matth. 21, 7.* & ad corpus cingulo adstringi debent. *2 Reg. 4, 29.* Europaei in Asia degentes ob decurtata risui Orientalium passim expositi sunt, passim ignominiae euitandae gratia ne iis quidem vti licet. Hinc facinori illi, quo Dauidis legatorum uestes absindebantur, vt proteruo & improbissimo, venia & impunitas non dabatur. *2 Sam. 10, 4. &c.* Quod quidem *2 Reg. 4, 42.* germanice Kleid sonat, proprie Hebraice saccus est, ideoque nihil difficultatis habet, neque huc pertinet.

§. 46.

Epitogiis villosis (Raputte) vulgus; vestibus vero pelliceis proceres hodiernis adhuc temporibus pro stragulis domi & in itineribus utuntur. *Gen. 22, 25. 26.*

C 5

§. 47.



§. 47.

Optimates non solum tunica longa & leui,
superque eum toga vel veste pellicea, manica
nunc carente, nunc instructa, amicti sunt, sed
etiam plures in deambulationibus & itineribus
secum portandas curant, quo commoditatis aut
pompae caussa eas mutare queant; quare, ne
eorum mores hac in re imitari viderentur, apo-
stolis vnam solummodo domo efferendi, facul-
tatem deferebat Seruator. *Matth. 10, 10.* Tu-
nica illa leuis e linteo aut syndone, aut serico
facta saepius loco industi est, quam ob rem
etiam iuuenis ille *Marc. 14, 51. 52.* ista dere-
licta nudus in fugam se dare coactus erat.
Togam, siquidem sine plicaturis est, integrum
contexi posse, ita vt ne partibus diuersis, e
quibus consui deberet, opus sit, facile intelli-
gitur, ac tales, consutis omnino cariores, vidi,
qua re plurimorum de veste Christi αρραφω
Ioan. 19, 23. opiniones, nec minus mirabiles,
quam absurdæ, prorsus euanescent.

§. 48.

Cinguli iam supra facta est mentio, quem-
admodum eius in litteris sacris saepissime fit.
Luc. 12, 35. Praeter vtilitatem, ad corpus ve-
stes adstringendi, loco marsupii ipsum est;
quod Christus apud Apostolos nummatum nole-
bat *Matth. 10, 9.*; aut *marsupium*, sicuti &
atramentarium in istud inferunt. *Hesek. 9, 2. &c.*

Ad



Ad scribendum canna subtili pennae instar viuntur , quae idcirco *Iud.* 5 , 14. שׁבַת סְופָר nominatur.

§. 49.

Proceres vtriusque sexus occasione sollemini indumenta mutatoria saepius mutant. *Gen.* 45 , 22. *Iud.* 14 , 12. &c. (17) idque in primis mulieres in balneis faciunt. Iis vero , qui aditu ad Imperatores digni habentur , toga praeterea singulari , quam *Caftan* appellant , quaeque ab Imperatore dono intranti datur , ante ingressum superuestiri opus est. Quod egregie cum *Matth.* 22 , 11. 12. conferri potest. *Zephania*s etiam cap. 1. v. 8. mentionem de vestibus peregrinis , i. e. quas a Deo non acceperant , facit. Ad regnorum autem magnates e. c. *Vizirios* &c. admissi , paullo ante egressum ea amiciuntur. Proceribus in genere copiosus *Caftanorum* indumentorumque superiorum , iamiam paratorum , numerus est , vt necesse igitur non sit , ea tum demum perficere. 2 *Reg.* 5 , 22. *Dan.* 9 , 24.

§. 50.

In capitis ornamenta multum studii & operae conferunt. Tegumentum capitis virile *Dhul-*

(17) Non male *Faber* annotat , locum *Ebr.* 1 , 12. vertendum esse : quemadmodum vestimenta princeps mutat , sic mutabis tu (Deus) coelos.



*Dhulbēnd nominant Turcae, & e mitra nunc altiori, nunc planiori & panni segmentis tintatis, eam artificiose circumPLICANTIBUS, constat, Hesek. 23, 15.; a quo muliebre forma solummodo, pretio & venustate distinctum est, siquidem cincinnorum fimbriae, flores, gemmata &c. id pulchrius & ornatus reddunt. 1 Petr. 3, 3. Nisi Hesek. 16, 12. obstare videretur, vocabulum 环, quod annulum seu monile Lexica nostra reddunt, in genere *ornamentum capiti*, in primis faciei *ligatum* seu appensum transferrem. Diuersa enim eius genera sunt, e. c. lineae margaritarum, nummorum aureorum, conchularum &c. sic capitis tegumento alligatae, vt vel temporibus, vel genis, vel fronti impendeant.*

§. 51.

Barba magna & prolixa maximi ducitur, decurtata autem ignominiae signum putatur. Sic Dauidis 2 Sam. 10, 4. 5. ; sic temporibus nostris iudicatur. Episcopi Christiani, quum sacerdotem munere aut clericum in genere sacerdotio priuant, ipsis barbam demere iubent. Illam lauare, pectere, odoribus bonis suffire, vnguentisque etiam vngere solent. Ps. 133, 2.

§. 52.

Foeminae peplo velatae inuiolabiles creduntur. Gen. 20, 16. Deambulatum eentes, vel iter facientes, faciem aperiunt, sed peregrino cuius



cuius occurrentes peplo rursus velant. *Gen.* 24, 65. Nemo, nisi sceleratus, domum ab illis munitam intrare audet; quapropter istis etiam vrbes domusque tuendae traduntur. *1 Sam.* 30, 1. &c. *2 Sam.* 15, 16. Velum hcc sine dubio Apostolus εξεριαντ *1 Cor.* 11, 10. nominat, tamquam certum verecundiae, ideoque sub mari-
tum etiam subiectionis indicium.

§. 53.

Inter manuum ornamenta annulus signa-
torius & armillae numerari debent. Maxime
ille Orientalibus carus est, *Ier.* 22, 24. *Hagg.*
2, 24.; cui non figurae, sed nomina vel sen-
tentiae modo contracto incisa sunt. Hinc sigil-
lum *2 Tim.* 2, 19. pro inscriptione ponitur.
Supremo regni Turcici administro (*Vizirio*
summo) a ceruice vsque ad pectus e fascia de-
pendet signum imperiale. *Cant.* 8, 6. Eius
collo quum appenditur, mandatur ipsi impe-
rium; ipsi quum adimitur, hoc etiam abroga-
tur. *Eth.* 8, 2. Materia, cui sigilla e. g. ad
epistolas obsignandas imprimuntur, cera (18)
est

(18) Hoc quidem auctor *Biblioth. uniuers. Teuron.*
Vol. XXVII. P. I. *Harmari Ols.* recensens, falso
autem, negat: „Gesiegelt wird im Oriente nicht
„mit Wachs, Lack u. dergl., sondern bloß mit Din-
„te &c. „Quomodo fieri potest, ut epistolae, por-
tae &c. atramento obsignari queant? Omnia
ex iis, quae in paragrapho sequuntur, satis clara
euident. In eiusmodi tamen errores facile inci-
dunt, qui istis in regionibus ipsi non fuere.



est multicolor e compositione varia molli, sed mox durescente constans. *Dan.* 6, 18. Sigilla haec quum atramento spisso, quo vtuntur typographi, documentorum publicorum seu subscriptionum confirmandarum caussa imprimuntur, non est, quod expressiones *Hesek.* 9, 4. *Apoc.* 7, 3. occurrentes quempiam offendere possint.

§. 54.

Armillae ex auro ductili, vt catellae, fausta, resticulis pluribus manui, vt nostras apud foeminas sit, alligantur. *Gen.* 24, 30. Semper fere hae armillis ornatae sunt. In virorum manibus illas numquam, sed saepius amuletum partem brachii superiorem, annuli forma circumdans, sicuti *brachiale* proprium vidi. Quid? quod supponamus, tale etiam amuletum regi *Saulo* superstitioni adeo dedito fuisse. *2 Sam.* 1, 10. Eodem certe significatu vox נְעַזָּן etiam *Num.* 31, 50. occurrit. Tunc non amplius ad virorum armillas, quae numquam forte extiterunt, recurrentum sine ratione forer.


§. 55.

Bracis communiter sub induso succinctis, vt apud Hebraeorum sacerdotes, indutus est vterque sexus. Homines honoratores calceati sunt, sandaliis plebi relictis. Non his, sed cal-

calceis , interdicebat apostolis Seruator. *Matth.*
10, 10. coll. cum *Marc.* 6, 9. Sandalia pedis
plantae corrigiis religata sunt , deponenda solui
debent. *Matth.* 3, 11. Quum id facile factu
esset , rarissimeque ibi in vsu tibialia sint , sine
mora in aquam inscendere poterant bapti-
zandi. *Act.* 8, 38.



SE.



SECTIO SEXTA.
DE PROFECTIONIBVS ET MER-
CATVRA.

§. 56.

Quo merces, vitae necessitates, aliaeque res, hominesque etiam, quoquouersum terra transportari possint, tam ob vias asperas & incultas, quam ob commoditatem, non curribus, sed camelis, equis, mulis & asinis vntuntur. Gen. 24, 64. 1 Chron. 12, 40. Latrones itinera, in se iamiam saepius montosa & caua, intuta reddunt, ideo proficiscentibus gladii aliaeque arma opus sunt, nec quisquam sine illis hodieque iter facit. Christus vero quum ad apostolorum assertionem, duos aedisse gladios, responder: sufficere (*κανον 851*) Luc. 22, 38. id non ad gladios, sed ad colloquium totum trahendum est, siquidem Graecis, quo sermonem ipsis ingratum interrumpant, formula eiusdem cum antecedente significationis, in hodierna etiam lingua sollemnis est: Σωτει. Circumstantiis prorsus mutatis, inter Christi interdictum, ne baculum quidem secum portarent in emissonis via apostoli Matth. 10, 10. interque eius effatum Luc. 22, 36. coll. v. 35. & Ioan. 18, 10. 11. nulla certe occurrit contradictio.

§. 57.



§. 57.

Secundum multos quidem, Seruatoris in Hierosolymas introitus *Matth. 21, 1. &c.* nescio cuinam obnoxius fuerit ignominiae (19). Minime id ab alicuius dignitate alienum fuisse ductum, e Veteris Testamenti exemplis clare patet. *Iud. 5, 10. 12, 14.* Fefellerunt hac in re fortassis viros non satis peritos relationes ex Aegypto (20), vsum equorum ad equitandum Europaeis prohibitum esse narrantes. Quod quidem verum est, sed vrbi regni eius principi (*Cairo*) cum aliis paucissimis & forsitan Damasco & Hierosolymis vnicis proprium, alibi enim interdictum hoc minime locum habet & Europaei non solum, sed Christiani etiam indigenae, sicuti Turcae equis vehuntur. Tantum abest, vt asini veſtatio cuidam dedecori sit, vt homines potius modesti sanctitatemque affeſtantes asinis vtantur, id quod in primis ex iis animaduerti, qui Muhammedis posteros se esse perhibent, certissimeque honori rationibusque suis optime consultum volunt. Si cui igitur iste Seruatoris introitus parum honestus videretur, ignorantiae eius in consuetudinibus illis id tribuendum foret. Foeminae genera-

D tim

(19) Saltem quam ob cauſam *Harmarus* etiam putauerit, in asinis equitare ignominiosum esse, valde, sed vehementius miror, errorem hunc minime correctum a *Fabro* esse.

(20) *Harmarum* certe.



tim in asinis libenter vehuntur , vt etiam
¶ Sam. 25, 23. 42. legimus.

§. 58.

Ephippia (Samār) ibi dicta) e ligno & co-
rio confecta , siquidem ad res transportandas
proprie accommodata , dura omnino sunt , qua-
propter cilicia , pelles , vestimenta , quod etiam
de Christi discipulis Matth. 21, 7. scriptum
exstat , hodienum superstruuntur . Tam domi-
nos , quam foeminas serui pedites sequuntur ,
vt ipsis inferuant & equos seu asinos stimulent.
Gen. 22, 3. 5. 2 Reg. 4, 24.


§. 59.

Quo aestus meridianus equitetur , itinera
tempore aestiuo vel mane , vel tarde fiunt . *Iud.*
19, 8. Multis in regionibus diuersoria nulla ,
& vbi fortassis dantur , publica quidem , sed te-
nuia sunt , in quibus nec fumi nec nidoris
nebulam quis vereatur , quapropter res quasi
omnes ad viuendum pro hominibus & animali-
bus necessarias secum portant peregrinatores.
Iud. 19, 19.

§. 60.

Qui terra in Asia negotiantur , latronum
metu id , sicuti olim *Gen. 37, 25.* maxima , qua
fieri potest , peregrinatorum manu congregata
(Carauana eam nuncupant) hodienum faciunt.

SE.



SECTIO SEPTIMA.

DE VRBIVM, AEDIFICIORVM, PV- TEORVM ETC. RATIONE.

§. 61.

Alibi iamiam obseruaui, multos adhuc populos in tentoriis aut tuguriolis vilibus vivere. Tentoria aut linteis crassis, aut pannis villosis plerumque confecta in forma globosa, aut oblonga, aut secundum nationis usum alia sub dio aut sub arboribus humi figuntur. Tuguriola seu palis, fruticibus viridibus vel iuncis circumdati & testis, seu parietibus tenuibus tecto simplici testis, amboque quidem facillime construuntur. In illo tuguriorum genere a calore, ut *Ionas* c. 4, 5. in hisce a pluia tuti sunt.

§. 62.

Turrium quidem, arcium & castellorum frequens est in litteris sacris mentio. Sed nostris e temporibus is de antiquis iudicaret, qui illa cum nostris comparare animoque suo ea, sicuti nostra, alta scilicet, ampla & spatiose substituere veller. Turres tenues vilesque initio, postea castella natura magis, quam arte munita, ut hodienum conspicuntur, lo-

D 2

cis



cis editis propinqua faciebant, a bestiarum atque hostium ictu quo tecti ibi essent.

§. 63.

Oppida, pagi, domus singulae aeris salubris & securitatis caussa plerumque in colle summo aut loco edito posita sunt, saltem in montium declinitate pendent, idcirco eorum muri saepius in coelum quasi perduerti, Deut. 1, 28; sicuti habitationes in locis altis *Obadj.* v. 3. describuntur. Exempla eiusmodi constructionis in castellis & monasteriis e. g. monitis *Sinai* obuia sunt, in quae homines ac res trochlea sursum trahuntur.

§. 64.

Vsus, cui dicatae olim urbium portae erant, vestigium in nomine, quod arci Turcarum imperatoris, palatiis regni magnatum legatorumque datur, mansit. Ad portam enim imperatoris, ministrorum locum tenentium, legatorum adire, id perinde est, ac rebus publicis interesse & ius suum persequi. Huic autem rei portae olim inserviebant. Gen. 23, 10. 2 Sam. 18, 24. 1 Reg. 22, 10.

§. 65.

Quempiam domo, hortis ac possessionibus e maiorum haereditate captis mouere, pro summe iniusto, adeo criminis loco putatur. 1 Reg. 21, 2. &c. Quam ob rem summi etiam



etiam imperantes a tali violentiae actu abstine-
re praeter voluntatem saepius coacti sunt.

§. 66.

Domorum constructio externa fere haec
est. Tecta generatim plana & paumentata
sunt, peribolo seu ambitu ne quis decidere
possit, *Deut. 22, 8.* circumdata. Sunt etiam
passim vel totae, vel quoad partem lateribus
admodum plane & leuiter coniectae, quibus,
ut saepius vidi, faciliter remotis, vel tecti aper-
tura, e qua exitur, quoque unaquaque do-
mus instructa est, paullulum dilatata, aliquid,
sicuti & aegrotus ille *Luc. 5, 19.*, demitti
potest. Tecta paumentata usui multiplici in-
seruiunt. Olera, linum, linteal ibi siccant,
Ios. 2, 6; ibi die, tempore vespertino, no-
ctu sub & sine tentoriis liberius coelum du-
eunt, deambulant, *2 Sam. 11, 2*; precantur,
Act. 10, 9. *Zeph. 1, 5.*, commorantur, *Prou.*
21, 9. *Ies. 15, 3.*, dormiunt *2 Sam. 16, 22.*
Passim scala intra domus parietes, passim ex-
trinsecus est, quam ob rem Seruator, celeri-
tatem aufugientibus maximam commendans,
adeo domum intrandam dissuader *Matth. 24,*
17; nisi etiam tectorum sibimet ipsis conter-
minorum constructionem respexerit, quorum
ope facilis elabendi ex una urbis parte ad al-
teram datur occasio. Tempa Muhammeda-
norum¹, imperatorum arces, aedificia publica
saepē cuppolis artificiose & pretiose factis gau-
D 3 dent;



dent; tecta vero reliqua ac praecipue domuncularum e terra structa sunt (*Terrazzae* ideo appellata), e quibus gramen nascitur, quod fundo bono & humiditate destitutum cito arescit, *Ies. 37, 27.* *2 Reg. 19, 26.* & hinc in symbolum hominum peruersorum postea pereuntium abit, *Ps. 129, 6.* Super rupes & petras generatim, in primis pauperes, domus aedicare solent, quarum muri pro calce luteo exstructi facillime vento & imbre hodienum destruuntur. *Luc. 6, 48.* *49.*

§. 67.

Constructio domorum interna, quod ad operis mei propositum attinet, breuibus expediti potest. Conclavia in solo vel contignatione infima posita areae propinqua sunt. Quemadmodum *Esth. 5, 2.* *6, 4.* regis palatum describitur, sic adhuc in Turcarum imperatoris arce (*Serai* dicta) tam cubile eius salutatorium ad audiendos legatos, quam istud conclave celebratissimum *Diuan* comparata sunt, ita ut ex hoc *Vizirius* supremus in folio e regione ianuae sedens magnam areae partem prospectare possit. Interni non solum *Diuani* plurimumque conclavium parietes, sed etiam frontispicia supra portas inscriptiones, (21) quoad maximam partem e *Corano* sumtas, habent.

§. 68.

(21) *Faber in Archaeol. P. I.* p. 429. ex iis *Exod.*
12,



§. 68.

Domus si duplici vel triplici contignatione gaudet, totidem intrinsecus etiam porticibus, quae in columnis lapideis aut ligneis nituntur, cincta est. Sic *Seraī*, sic *Karauansarai* (hospitia publica §. 59.) comparata sunt, quorum area illis inclusa, usui multiplici inferuit. Quum in illa, die sollemni, diuersi militum Turcicorum ordines *Pillo* seu oryzam Turcarum more coctam, reliquosque cibos comedere vidi, in mentem mihi epulæ illæ *Esth.* 1, 5. veniebant. Templorum Muhammedanorum turres communiter uno, eorum vero, quae imperialia appellantur, etiam secundum harum altitudinem hypaethriis duobus aut tribus gaudent. 1 *Reg.* 6, 5. 6. 10.

§. 69.

In media, sed principali aedificii, praecipue publici, parte oculus grandis, ad aream versus omnino apertus, constitutus est; e quo trans porticum, cancellis nunc altioribus, nunc humilioribus inclusam, patet in aream

D 4

pro-

12, 7. 22. 23. *Deut.* 6, 9. explicare conatur; quemadmodum is pluresque occasionibus aliis eandem explicandi regulam sequuntur. Mea quidem & opinione, ni fallor, rectius ordine inuerso procedendum est, ritusque populorum reliquorum Orientalium sacri e Iudeorum consuetudinibus orti sunt, exque iis commodius & accuratius exponi possunt & debent.



prospectus; quod in gubernatoris Smyrnensis palatio & alibi vidi. Oecus hic sine dubio *ανωγεον* & *υπερων*, usibus variis dicatum, est, *Marc.* 14, 15. *Act.* I, 13. 9, 37. 20, 8. 9; ubi etiam Christi caussa cognoscetur, ideoque ipse Petrum in area morantem intueri poterat. *Luc.* 22, 61. Hanc in aream porta grandi patet introitus & illinc sursum gradibus in porticum ascenditur. Aedibus communibus saltem unum est atrium aut area, principalibus duo. *Ioan.* 18, 15. 16. Turcarum imperatoris arci tria sunt. conf. *Esth.* 6, 4. cum c. 5, I. 2.

§. 70.

Transennis, quae etiam dimoueri possunt, ne homines aut foeminae cerni queant, *Cant.* 2, 9; olim & hodienum frequenter loco fenestrarum vitrearum utuntur, plerumque admodum humilibus, ita ut nonnumquam improuidi ex iis decident, quod regi *Ahasjae* euenisce *2 Reg.* 1, 2. scriptum legimus, nisi hoc potius de cancellis illis, porticum includentibus (quorum §. praec. fiebat mentio) accipiendum foret. Oecorum aut conclave unus vel alter camino instructus esse solet, *Ier.* 36, 22, quo tempestate aspera, rara quidem, tanto autem penetratiori, remedium comparari queat. Usitatus, ubi facultas saltem datur, ad carbones candentes tam in conclauibus, quam in atriis adsident. *Ioan.* 18, 18. Conclave parietes ligno vel eximio, vel communice pietro, contabulati sunt. *Ier.* 22, 14.

§. 71.



§. 71.

Magnatibus & familiis ditatis *pergulae* sunt, *Iud. 3, 20. 23.* multifarie constructae, quo a caloris aestui incommodo sarti tectique conseruare se, auram refrigeratam haurire, aqua salienti aut belle fluenti & in primis prospectu pulchro delectari possint. Ex omnibus igitur, vel saltem ex una alteraue in circuitu partibus apertae sunt. Eiusmodi etiam Danieli fuisse videtur; nisi talis fuerit, qualis & nunc in vsu est, oecus nimirum domui adstructus, a lateribus vno vel pluribus aperatus, cuius tectum columnis nititur, e quo ipsis ad regionem Hierosolymitanam versus liber patebat prospectus. *Dan. 6, 11.* *Kiosk* a Turcis nominatur. (22)

§. 72.

Fornaces ad calcem coquendam sub terram construunt, apertura superne relieta, & cauerna intrinsecus lapidibus circumdata, ad quam foramen modicum pater. *Dan. 3, 20. 26.*

§. 73.

Istis in regionibus, natura siccis, fontes & putei, vt supra dixi, in summis bonis numerantur. *Nehem. 9, 25.* *Ief. 58, 11.*

D 5 Scriptu-

(22) Hac de re multa quidem, sed admodum confuse parumque accurate disseruit *Harmarus* in *Observat. c. III. not. I.*



Scriptura sacra de puteis Dei , seu aqua num-
quam carentibus , multi enim aestibus exare-
scunt , *Ps. 65, 10.* mentionem facit. Extra
vrbes & pagos, plerumque montibus & colli-
bus adiacentes , prope tamen a portis *2 Sam.*
23, 15. putei , verosimiliter munditiei cau-
sa , inueniuntur. *Gen. 24, 11.* *Ioan. 4, 6.*
Fontes ad loca certa, domus & hortos dedu-
cuntur. Puteorum & fontium inopiae meden-
tur cisternae. Sunt regiones, vbi tam harum,
quam illorum summa est indigentia. Re ita
comparata ad incitas saepe rediguntur, puteis
belli tempore obstructis, peregrinantes & gre-
ges. Hinc iustissimae patriarcharum querelae
Gen. 26, 15. Hinc factum Hiskiae laudabi-
le. *2 Chron. 32, 3. 4.* Quo petulantium cona-
tus cohiberi possint , illi lapidibus artificio fa-
ctis occluduntur, *Gen. 29, 2.* (*) inuentu ideo
difficiles , *Gen. 21, 19;* vel obtieguntur etiam,
ne aqua perdi aut aliunde deriuari queat.
2 Chron. 32, 30. Aperti igitur beneficiorum
diui-

(*) Nunc omnino putei hisce vel illis nationum
tribubus plerumque proprii sunt , ac in illos ius
suum hae tinentur. Sed nullo prorsus fundamen-
to nixus assumit *Harmarus*, iam *Iacobi* temporibus
claves eorum obsignandorum & aperiendorum
gratia extitisse , atque eiusmodi vnum *Rabeli*
fuisse , sine quo pastores reliqui cisternam aperire
nequivissent. *Gen. 29, 6. 8.* Non clavis interim ,
sed lapidis magnitudo causia erat, quam ob rem
Rabelis aduentus prius expectabatur , vna vice ut
sic conficeretur opera. v. 2. 3.



diuinorum symbolum sunt. *Zach.* 13, 1. Iis
communiter aquaria e saxe sculpta adiacent.
Gen. 24, 20. Adsunt passim hanſtra, ſaepius
autem deſunt. *Ioan.* 4, 11. 28. Voces iſtae
Hebraeae בָּאָר & בָּאָר, quae in Lexicis no-
ſtris latine puteus & fouea, nec prae redun-
tur, in genere tamen aut foueam qualem cum-
que, aquae feruandae inſeruientem, deno-
tant, e. g. *immissarium*, quod Leuantini Havu-
ſe appellant, ſuperne apertum, nunc ampli-
us, nunc angustius, quod aſſeribus ſaepē ope-
ritur, 2 *Sam.* 17, 18. 19; aut *cisternam*, plu-
ribus ſaepius cellis concameratis conſiſtentem,
quae ex parte euerae carceris ſubterranei,
eiusque pefſimi loco eſſe poſſunt, *Gen.* 37, 24.
Ier. 38, 6. &c. beſtiisque refugium tutum prae-
bent, 2 *Sam.* 23, 20.



SE-



SECTIO OCTAVA.

DE STATV POLITICO ET MILITARI.

§. 74.

Ab antiquis iamiam temporibus dominatio-
nis absolutae iugo adsuefacti Orientis po-
puli fuere, eorumque imperatores pluris fere,
quam humani quid se existimari possi sunt.
Qua ex re verisimiliter nata opinio & nutri-
ta est, illorum mandata tam sancta esse, ut a
mortaliuum quodam haec reuocari nefas sit.
Obtinuit olim pessima haec consuetudo *Esth. I,*
19. Dan. 6, 8; obtinet & fere adhuc.

§. 75.

Plurimi istis in regionibus, saltem tribu-
tariis, subditi Imperatorum, etiam mancipia &
saepius foeminae formosae, in periculo sunt,
ut in eorum arcem rapiantur. *Esth. 2, 2 — 4.*
Ibi prius, si iuuenes adhuc sint, educantur,
omnes autem artibus diuersis, quibus sexus il-
le impertiri potest, instructae, *Esth. 2, 8. 9.*
tandemque proprius praeparatae voluptatis victi-
mae fiunt. *ib. v. 12 — 14.* Nemini vestimen-
to lugubri induito ad hunc usque diem adi-
tus ad imperatoris palatium patet. *Esth. 4, 2.*

§. 76.



§. 76.

Supremus regni Othmannici minister, qui *Vizirius summus* appellatur, eodem in honore positus est, quo *Iosephus* apud Pharaonem gaudebat. Iste, indutus huius annulo, tunica honoraria amictus, collari assumto, muneri splendidò praeficiebatur; ille iisdem fere caerimoniis. Aula nempe Turcica, adhuc, si quempiam *Vizirii supremi* honore dignum habet, ex arce *Seraï* eum eodem fere modo missum facit, qualem *Gen. 41, 42. Esth. 6, 7—9.* descriptum legimus. Idem, sed pompa multo minori fit, quisquam quum Patriarcha Graecorum, vel Moldauiae, vel Wallachiae princeps designatur.

§. 77.

Orientalibus maximam esse comparando ruin exercituum numerosissimorum facilitatem, in Scriptura sacra passim traditur. Tametsi concedi debet, exercitum numero maris arenæ simile e. g. 2 *Sam. 17, 11.* hyperbolice sumendum esse, inficiari tamen nequit, copias populorum eorum in infinitum quasi crescere, siquidem homines iam ab iuuenta armis animique asperitati adsuefacti ac sub tentoriis degentes, seque cum coniugibus, liberis, armamento itineri committentes (conf. etiam §. 23.), locustarum gregis instar regiones, quas inuadunt, penitus deuastant. Nostris omnino temporibus eiusmodi copiae exercitus nomine indignae



dignae sunt. Hiemali interim tempore Orientis milites conscripti non se castris tenent, sed donum se recipiunt. 2 Sam. 11, 1. 1 Reg. 20, 22.

§. 78.

Iugo duro non obstante, sub quo nunc in magna Asiae parte populi Christiani gemunt, hodienum sub Turcis, sicuti olim sub Romanis libertatis relicta iis est species, eligendi inter suos, quibus deferre actiones posunt, iudices inferiores vel rei arbitros. 1 Cor. 6, 1. His spretis res demum ad praefectos Turcicos venit.

§. 79.

Fori nostri criminalis ambages derident Orientales. Breuius maleficorum res aut liberatione, aut nece expediuntur. Istos non semper patibulo, siquidem hoc necis genere adisci debent, sed saepius portis, fenestris, arboribus vicinis, aut vbi crimen patratum fuit, adfigunt. Eth. 7, 9. 10. 2, 23. Carnifices non dantur. Horum officia & munera, quisquis demum sit, exsequitur, & quod ad homines in dignitate positos attinet, eos interficere tantum abeat, ut ignominiosum putetur, ut potius principis satellites & ordinum duces id negotii suscipiant. Quod idcirco Beniae etiam 1 Reg. 2, 25. opprobrio non erat. Eorum, qui graui ob delictum suppicio afficiuntur, capitata



pitâ superioribus mandata Constantinopoli pro-pe ab imperatoris palatii porta , vt vexilla ere-
âta , populi conspectui exponuntur. 2 Reg. 10 ,
7. 8. Iniustitia oppressi ad imperatorem ipsum
querelas deferentes , vt tanto facilius animad-
uerti possint , calamitatemque suam tanto testa-
tiorem faciant , in caput paleam aut alia com-
bustibilia colligunt. Rom. 12, 20. Temporum
superiorum erat haec , quae nunc quidem ob-
soleuit , consuetudo , vt in mortario iudicium
supremorum (quos *Mufti* appellant) si iniusti-
tiae capitalis reos semet ipsos fecerant , capita
pistillo contunderentur. Prou. 27, 32. Mor-
tarium adhuc Constantinopoli exstat ; nec exem-
plum , vt fertur , deest.



SE.



SECTIO NONA.

DE CAERIMONIIS QVIBVS DAM AD RELIGIONEM PERTINEN- TIBVS.

§. 80.

Nescio an Orientis climati aut quibusnam caussis tribuendum sit, quod sub illo habitantes plus caerimoniis dediti sint, nobis sub septentrione iacentibus. Adhuc illis sollemne certoque modo summopere necessarium videtur, aqua se ante preces purgare, *Gen. 35, 2.* *Exod. 19, 10. 14.* vestesque, quamquam id alias etiam pompea caussa saepissime fit, mutare. *Gen. 35, 2.* De calceis §. 55. iamiam mentio facta est. Super tibialia ii, quos in meliori statu collocavit fortuna, soccos corii tenuis induunt, quibus in conclaibus, quae vbique fere tapetibus ornata sunt, incedunt, ex iis exeuntes crepidis, calceorum instar vtuntur. Hasce Orientales, templum intrantes vel preces fundentes, exuent. Quod igitur adorationis externae signum putatur. *Exod. 3, 5.* *Ios. 5, 15.*

§. 81.

§. 81.

De prosternatione religiosa, cui multum in Dei cultu tribuunt, iamiam §. 32. egi. Id solummodo addendum foret, locum Gen. 47, 31. coll. cum Ebr. 11, 21., ob punctuationem dubiam הַמְתָּבֵל vel הַמְתָּבֵל vexatum, in se quidem nullam habere difficultatem, quum admodum indifferens sit, quaenam praeferatur lectio: virum Iacobus, fessus de iure iurando, quod ipsi verisimiliter erecto aut stanti v. 29., praeſiterat Iosephus, inniteretur puluinari altiori, in quo lecti instar confidebat, an baculo, quo secundum morem senum Orientalium super illo etiam vtebatur. De baculo vel Iacobi vel Iosephi adorato a quibusdam huc allata, non conieeturis, sed somniis annumeranda sunt. In sacramento praestando leuissimi adhuc omnes sunt Orientales. Non solum per animam vel propriam vel aliorum, sed per coelum, caput, barbam, oculos &c. iurare solent. Quapropter nemini Seruatoris, totum hoc juris iurandi genus seuere interdicentis, reprehensione superflua videri potest. Matth. 5, 34. &c. De choro religioso §. 42. conferri potest. Eo populi Christiani in primis die Paschae festo delectantur. Tunc etiam sollemne est, sub formulae acclamatione: *Christus resurrexit!* sibimet ipsis inuicem oscula figere; quod certe osculi sacri, Apostolorum tempore.

E

ri-



ribus visitati , vestigium mansit. Rom. 16, 16. Diebus festis, aliisque sollemnibus, sicuti & in Imperatorum, Viziriorum & Bassarum itineribus, omnium generum instrumentis musicis utuntur. Dan. 3, 5.

§. 82.

Sponsi domum quum deducitur sponsa cum dote, ipsa plerumque equo vehitur, capite velato, magna comitante, sed pedibus eunte caterua, ita etiam ut cantu vocum & tibiarum tota vicinitas personet. Ps. 45, 14 — 16. Superstitioni, cuiusmodi sit Deut. 18, 10. 11., quam toties & tam seuerre reprehendunt leges diuinae, tenaciter detiti sunt. Ab artibus magicis, sicuti Pharaei olim phylacteriorum ope, sic expressum vel versuum Scripturae S. homines Christiani, aut Corani, si Muhammadani sunt, cauere sibi volunt. Exod. 13, 16. Num. 15, 38.

§. 83.

Mortui rarius vestibus suis induiti, communiter linteis inuoluti, aut in iis insuti, Ioan. 11, 44. loculo non conduntur, sed retro aperto, lorica, ne delabantur, circumdato, efferuntur, ita ut iuuenes ille verbo seruatoris miraculoſe e morte fuscitatus subito erigere se posset. Luc. 7, 14. 15. Locus se pul-

pulchris plerumque extra vrbes & villas in campis assignatus, Gen. 23, 9. prope viam, vt pro mortuis preces facere possent & mortalitatis suae admonerentur proficiscentes, constitutus est. Gen. 35, 19. Patriarchae, quo spem suam de resurrectione futura testaram facerent, sub arbores mortuos sepeliebant, Gen. 35, 8.; quod adhuc sit, ita vt, si forte deessent, vnam aut duas arbores perenne virides, e. g. cupressos, super sepulchra plantent, in quorum duobus finibus columnam modo inscriptione ornatam, modo ea carentem, statuunt, ib. v. 20. Familiae uno contingunt tumulo (23) muro humili septo.

E 2

Ad

(23) Hoc forte Scripturae sacrae interpretes eam in coniecturam adduxit, locutionem illam: congregari ad patres, vel ad populum suum, saepius occurcentem & cum duabus illis: mori se necesse & sepeliri coniunctam ita intelligere, perinde ac si idem esset: cum maioribus uno tumulo contagi. At non considerauerunt, tunc non solum Tautologiam plane inutilem adesse, sed etiam promissionem Dei Abraham hoc de re Gen. 15, 15. datam minime impletam fuisse, si quidem non in Chaldaea cum maioribus, sed in Palaestina sepeliebatur; nihiloque tamen minus eum ad populum suum congregatum esse Gen. 25, 8. asseueratur. Indicat igitur statum hanc post vitam viuum animaeque remuneraciones in aliorum societate sentientis locutio haec. Id quod etiam infinitis locis parallelis tam Testamenti V. e. g. Ies. 26, 20. quam N. e. c. 2 Thess. 2, 1. con-



Ad illum certis temporibus propinqui, nunc soli, nunc gregatim, in primis sexus muliebris, adstant, ut mortuos suos ibi requiescentes defleant, *Iean. 11, 31.* proque ipsis precentur. Imperatores tamen, magnates, eorumque mulieres & liberi, sub cuppolis paruis & bellis sepeliuntur. Cura plerumque summa, quam posteri in parentum, maiorumque sepulchri monumentis conseruandis ponunt, istas Seruatoris minas *Matth. 23, 27—29.* contra Scribas & Phariseos enunciatas egregie illustrat. In iis etiam fortassis daemoniaci illius *Marc. 5, 3.* domicilium erat.

confirmatur. Hac e phrasí etiam latina illa orta est: *ad patres ire*, cuius sensum verum ignorantia ethnica dubium & lubricum reddidit.



IN-



INDEX

EORVM SCRIPTVRAE S. LOCORVM,
QVAE HIC EXPOSITA FVE-
RVNT.

Genesis.		Gen.	
XIII.	2. 5.	§. 18.	XXIV.
XVIII.	2.	§. 32.	11. §. 38.73°
	4.	§. 40.	15. §. 29°
	6.-8.	§. 25.39.	20. §. 73°
XX.	16.	§. 52.	30. §. 54°
XXI.	19.	§. 73.	59. §. 39°
XXII.	3.5.6.	§. 28.58.	64. §. 56°
	25.26.	§. 46.	65. §. 52°
XXIII.	9.	§. 83.	XXV.
	10.	§. 64.	8. not. 23°
XXIV.	10.	§. 19.	XXVI.
			15. §. 73°
			27. §. 37°
			28.39. §. 5°
			XXIX.



	Gen.		Num.	
XXIX.	2.	§. 73.	XI.	5.
	6.	§. 38.		31.
	9.	§. 38.	XXII.	24. &c.
XXXI.	40.	§. 2.	XXIV.	6.
XXXV.	2.	§. 80.		
	8.	§. 39. 83.		
	20.	§. 83.	I.	28.
XXXVII.	24.	§. 73.	XI.	10. - 12.
	25.	§. 60.		14.
	34.	§. 44.	XXII.	8.
XXXIX.	4.	§. 39.	XXV.	4.
XLI.	6.	§. 2.		
	42.	§. 76.		Ios.
XLII.	6.	§. 32.	II.	6.
XLIII.	32. 34.	§. 26.	III.	15.
XLIV.	14.	§. 32.	V.	15.
XLV.	22.	§. 49.	VII.	6.
XLVII.	31.	§. 81.	IX.	5. - 13.
XLIX.	4.	§. 43.		Ruth.
			III.	2. - 3.
				§. 10.
				Exod.
II.	16.	§. 38.		Judic.
III.	5.	§. 80.	III.	16.
	8.	§. 1. not. 3.		18.
XI.	5.	§. 25.	20. 23.	§. 71.
XV.	20.	§. 42.	24.	§. 41.
XVI.	13.	§. 15.	V.	10.
XIX.	10. 14.	§. 80.		§. 57.
				§. 48.

V.



Iudic.		2 Sam.		
V.	25.	§. 30.	XII.	3. §. 19.
IX.	9. 11.	§. 13.	XIII.	5. §. 25.
XII.	14.	§. 57.	XV.	16. §. 52.
XIV.	12. &c.	§. 49.		22. §. 77.
XV.	4.	§. 20.	XVI.	22. §. 66.
	5.	§. 19.	XVII.	11. §. 77.
XIX.	5-11.	§. 26.		18. 19. §. 73.
	8. 19.	§. 59.	XVIII.	24. §. 64.
			XX.	9. §. 33.
			XXI.	9. §. 19.
I Sam.			XXII.	20. §. 73.
IX.	7. 8.	§. 35.		
X.	5. 6.	§. 42.		
	27.	§. 35.		
XII.	16. 18.	§. 2.	I.	47. §. 32.
XVIII.	4.	§. 35.	II.	25. §. 79.
XXII.	6.	§. 40.	IV.	25. §. 40.
XXIV.		§. 3.	V.	5. §. 13.
	4.	§. 41.	VI.	5. 6. 10. §. 68.
XXV.	18.	§. 28.	XIV.	2. 3. §. 35.
	23. 42.	§. 57.	XV.	18. 19. §. 35.
XXX.	1. &c.	§. 52.	XVIII.	4. §. 3.
			XIX.	9. §. 3.
			XX.	22. §. 77.
			XXI.	2. &c. §. 65.
I.	10.	§. 54.	XXII.	10. §. 64.
	21.	§. 5.		
VI.	5.	§. 42.		
X.	4. 5.	§. 45. 51.	I.	2. §. 70.
XI.	1.	§. 77.		8. §. 22.
	2.	§. 40. 66.	III.	11. §. 39.
			E 4	IV.



2 Reg.

Esth.

IV.	24.	§. 58.	IV.	2.	§. 75.
	27.37.	§. 32.	V.	2.	§. 67.
	29.	§.22.45.	VI.	4.	§.67.69.
	42.	§.10.45.		7-9.	§. 76.
V.	12.	§. 4.	VII.	9.10.	§. 79.
	22.	§. 49.	VIII.	2.	§. 53.
VIII.	8.9.	§. 35.			
IX.	13.	§. 45.			Iob.
X.	7.8.	§. 79.	I.	3.	§. 18.
XIX.	26.	§. 66.	II.	13.	§. 40.
				XXI.	18.
					§. 10.
1 Chron. s. Paralip.			XXIX.	6.	§. 30.
XII.	15.	§. 7.		19.	§. 5.
	40.	§. 56.	XXXI.	26.27. §.33. n.14.	
			XLII.	12.	§. 18.

2 Chron. s. Paralip.

Psalm.

XXIV.	17.	§. 32.	LII.	10.	§. 13.
XXXII.	3.4.30.	§. 73.	LVIII.	5.6	§. 21.
			LXIII.	10.11.	§. 20.
Efras.			LXV.	10.	§. 73.
X.	9.	§. 2.	XC.	5.6.	§. 2.
			XCI.	6.	§. 8.
Esther.			XCII.	13.	§. 13.
I.	5.	§. 68.	CIII.	15.16.	§. 2.
	7.	§. 27.	CXXVIII.	3.	§. 13.
	19.	§. 74.	CXXIX.	6.	§. 66.
II.	2-4.8.9.12-14.	§. 75.	CXXXIII.	2.	§. 51.
	23.	§. 79.			

Pro-



Prouerb.

IX.	2 - 5.	§. 31.	XXII.	14.	§. 70.
XXI.	1.	§. 4.		24.	§. 53.
	9.	§. 66.	XXXVI.	22.	§. 70.
XXVII.	22.	§. 79.		30.	§. 2.
XXXI.	24.	§. 38.	XXXVIII.	6. &c.	§. 73.

Ecclef.

XII.	1. 5.	§. 13.
Cant.	Cant.	
II.	9.	§. 70.
	11.	§. 2.
VIII.	6.	§. 53.

Hesek.

IV.	12 - 17.	§. 28.
IX.	2. &c.	§. 48.
	4.	§. 53.
XIII.	18. 20.	§. 43.
XVII.	10.	§. 2.
XXIII.	15.	§. 50.

Dan.

Iefaias.	II.	46. §. 32. n. 16.
I.	III.	§. 81.
8.	5.	
30.	20. 26.	§. 72.
V.	VI.	§. 74.
2.	8.	
XV.	11.	§. 71.
3.	18.	§. 53.
XXVIII. 27. 28.	IX.	
§. 10.	24.	§. 49.
XXXVII. 24.		
§. 13.		
27.	§. 66.	
XL.	Hof.	
7.	§. 2.	
24.	VI.	
XLI. 15. 16.	4.	§. 5.
§. 10.	6.	§. 5.
LVIII. 11.	XIV.	
§. 4.	7.	§. 13.

**Ioel.**

I. 12. 19.

§. 10. XIII.

Zach.

I. §. 73.

4. §. 22.

Amos.

VI.

6.

§. 27.

Matth.

IX.

3.

§. 3.

II. 11. §. 32. 35.

Obadj.

v. 3.

III.

§. 63.

4. §. 22.

11. §. 55.

Ion.

IV.

5. §. 14. 61.

12. §. 10.

8. §. 2.

IV. 9. 10. §. 32.

Zephan.

I.

5. §. 66.

V. 28. §. 14.

8. §. 49.

VII. 27. §. 6.

Hagg.

II.

24.

§. 53.

IX. 2. §. 31.

Zach.

X.

I.

§. 6.

X. 9. §. 48.

10. §. 47. 55.

42. §. 4.

I. §. 28.

I. &c. §. 57.

7. §. 45. 58.

33. §. 11.

XXII. 11. 12. §. 49.

XXIV. 17. §. 66.

20. §. 2.

32. §. 13.

41. §. 25.

Matth.



Matth.

Ioan.

XXVI.	7.	§. 37.	IV.	11. 28.	§. 73.
	23.	§. 27.	V.	8.	§. 43.
			XI.	31. 44.	§. 83.
			XIII.	23. 25.	§. 42.
				26.	§. 27.

Marc.

		XVIII.	18.	§. 70.
		XIX.	23.	§. 47.

XIV.	13.	§. 29.
	15.	§. 69.
	51. 52.	§. 47.

Acto.

	I.	13.	§. 69.
Luc.	X.	9.	§. 66.
		25. 26.	§. 32.

II.	8. &c.	§. 2.
V.	19.	§. 66.
VI.	48. 49.	§. 66.

Rom.

VII.	37. 46.	§. 37.	XII.	20.	§. 79.
	45.	§. 33.	XVI.	16.	§. 81.

VIII.	44.	§. 33.
X.	4.	§. 22.
XII.	35.	§. 48.
XIII.	32.	§. 24.
XXII.	55.	§. 2.

1 Cor.

	VI.	I.	§. 78.
	61.	9.	§. 10.
XXIV.	52.	XI.	§. 52.

2 Cor.



	2 Cor.		Apoc.
II.	15. 16.	§. 37.	VII.
			3.
	2 Tim.	XIX.	10.
II.	19.	§. 53.	XXII.
			9.
	Hebr.		15.
XI.	21.	§. 81.	§. 17.



3.
2.
2.
7.

Fc 2023

S

W 18

M.C.

EXPOSITIO
BREVIS
LOCORVM SCR. S.
AD ORIENTEM
SESE REFERENTIVM ,

IN QVIBVS

VEL MENTIONE V. T. C. P. T. A. L. V. I. O.

SALTEM AD O.

CONS.

EX OBSERVATIONI

QVE R.

D. CHRISTO

PAST. ECCL. TEV.

ASSE

H A

IMPENSIS

M

